CONTRA 2

MARTINI BECANI,

Ieſuitæ Moguntini,

Controuerſiam Anglicanam

auctam & recognitam.

Aſſertio

Pro iure Regio,

Proque

Reu^di Epiſcopi Elienſis Reſponſione ad Apologiam BELLARMINI

Auctore ROBERTO BVRHILLO

Anglo.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

LONDINI

Excudebat *Edwardus Griffin*, impenſis *Nathanielis Butter*. 1613.

95 ... 633



REVERENDO IN CHRISTO PATRI IOANNI KINGO,

Episcopo *Londinensi*, eximio *bonarum Artium Patrono.*

INsigne nostro Ezekiæ, *ad diuinam suam Monitoriam conscribendam, exemplum iam olim præbuit antiquus* Ezekias: *quem historia sacra,* (2.Chr.30.6.) *memorat in alienam dicionem* dimisisse cursores cum fasciculis literarum: qui ex Regis præcepto dicerent, conuertimini ad Dominum. *Nec dispar euentus fuit.* Cum *enim* transirent cursores per Ephraimum, & Manassem, & Zabulonem vsque, deridebant eos, & subsannabant. Quidam tamen deprimentes se venernnt Iurusalaima. *In deris oribus nostris primi Iesuitæ: Nundinis anniuersarijs obstreperi, quasi grues.*

Desuper ex alta clangentes nube quotannis :
Pygmęo generi horrorē, stragemq; ferentes.
Verè enim dixero : non nisi Pygmæis terribiles sunt: quorum & arte instructum agmen, & lepidè compositæ sophismata, quasi gruum in alto literam, tenui reflante vento, quotidiè dissipari cernimus.
Strymona sic gelidū bruma pellēte relinquūt,
Poturæ te Nile grues, primoque volatu,
Effingunt varias casu monstrante figuras :
Post, vbi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temere immistæ glomerantur in or-
Et turbata perit dispersis litera pennis. (bes:
Suffenus *hujus coniurationis*, Becanus Moguntinus, *cum quid vis melius faciat quàm librum, nunquam tamen æquè est beatus, atq; cum librum facit, Penultimum librum dedit*, Controuersiam Anglicanam auctā & recognitam, *cui opposita Responsio hæc nostra : quam tuæ (Reuerende Domine) clementiæ offero. Iam olim dedi consilium, vt sibi dictum putaret illud,* οὐτοι τέκνον ἐμὸν δεδοται πολεμιζειν ἔργα· *contempsit : sed fideliter datum euentus anno sequente comprobavit : cum ob priorem huius suæ* Controuersiæ *editionem, non solum Parisijs à Sorbona, sed & Romæ iussu* Pauli Quinti à Bell°, *& alijs quinq; Cardinalibus vapulans, tantum non passus est, quod grui Æsopicæ à lupo accidit: dum gulæ os infixum collo inserto eximere conaretur. Offendit enim arteriam asperam : vnde caput ipsi, prinsquàm è lupi faucibus dimitteretur, panè præmorsum*

morsum; certè comminutum, sed ne sic quidem quiescit. Excitandus è sepulchro Passauantius aliquis, aut Antichoppinus: nisi fortè malimus ipsum Socratem: qui Glauconem (vt est apud Xenophontem) toties explosum, irrisum, exsibilatum, & nihilo minùs infracto animo quotidiè in suggestum procurrentem, vnus in latebras & silentium relegare potuit. Quasi enim musca aliqua, aut Sisyphi lapis impudens, semper repulsus redit. Iam & fortissimum Aiacem superat, vnaq; asellum Homericum, quem pueri crebris sudibus ex agro pellentes, arcere tamen nequeunt, quin cedens inter vapulandum hinc illinc obiter carpat segetem.

Habet penum de Primatu vtcunq; è lacunis conquisitum: hinc eadem in plures libellulos verbatim depromens, quàm facile typographus diuerso eorundem characterum positu multos libros procudit, tam facile & ipse suorum libellulorũ numerum multiplicat. Sed & fingit quæ nunquã cogitauimus, nemo vberiùs: & responsiones nostras, & alia quæ obessent, subticet, nemo fideliùs: & quorum nihil ne conatur quidẽ præstare, ea titulis librorum, capitum, quæstionum, promittit, nemo largiùs: tum & quæ nunquã negauimus, probat, nemo diligentiùs: & quæ nunquã concessimus gratis sumit, nemo familiariùs. Habet & machinas Rhetoricas: quibus iamdudũ assueuimus. Itáne verò (inquit) & miror si tergiuersarĩ hîc potest: & Audi mi homo: & Plus dicã, & Quid clarius? & nihil certius apud Catho-

licos, & nonnulla his similia. Idem & ioco edentulo ex Martiali, de anu edentula, imitari nouit anum sallantem: vah quàm feliciter?

Cedite Romani scriptores, cedite Galli:
Ecce vobis compendiariam viã, Becano duce, quã ei φῶβος Ἀπόλλων (id est Luciani ὑπερφυὴς διδάσκαλος) ostẽdit. Etiam prudentissimam Minerua adhibuit (vt videtur) consiliariam. Postquã enim inuitâ Minerua argumentatur, ex consilio, quod Achilli irato dedit Minerua, recondito in vaginam gladio, iurgijs rem agit non instrenuè. Et quidni Prophetiarũ apud Martialẽ indagator, de se, in Regiam Maiestatẽ petulanter illudẽte, intellexerit illud, de lepore in ore leonis ludente.

Si vitare canũ morsus lepus improbe quæris:
In quæ confugias, ora leonis habes.

Nec dubium, quin in isto homine nihili, periculum, & præludium fieri voluerint libro, vel potius sceleri, Suariano: qui Becanum iam tandẽ assecutus dicitur, & prætergressus. Sed & noster iste testatur apertè, non iam leuia peti à Pontificijs, aut ludicra præmia: sed regum de vita & sanguine certari. Nec de tantis rebus (vtcunq; contra nugatorem soloriſu & ludibrio dignum) Responsionem, nisi seriã, & ad singula reponere volui: Nec tua (Reuerende Domine) quem appello, nec Reuerendi Episcopi Elienſis, quem propugno, dignitas Responsionẽ aliam patitur. Quid enim aut tuo, aut illius nomini inter ludicra magis, quàm Catoni in Theatro?

Et illius quidem honorati Collegæ tui (nisi sciſſem ingratam

ingratam ei, omnẽ personæ suæ contra tales calumniatores Apologiam, non ita breuẽ vbiq́, quasi ignoti, aut alieni, mentionẽ feciſſem: quin (quod & Pietati tuæ gratiſſimum futurum fuiſſe ſcio) prompſiſſem omnem affectum, quẽ erga doctiſſimũ, ſanctiſſimũq́ Præſulem intus habeo honorificum. Sed ille apud deum gratiâ Chriſtianâ, apud bonos bonis meritis, apud ſe intaminatâ conſcientiâ fretus, nullam à cauſa grauiſſima digreſſionem ſuâ cauſâ fieri facile patitur. Ita vim feci amori meo: cui lex nulla durior, quàm quæ iubet amare lentè. Quaſi oblitus perſonæ (vtcunq; cariſſimæ mihi reuerendiſſimæq́) de rebus breuem, ſed, vt ſpero, idoneam Reſponſionem, & cognoſcendam tibi (reuerende) & ignoſcendam offero. Tu enim benignus ſemper induſtriæ meæ æſtimator, & mihi multis nominibus, & omnibus, ob egregia in Eccleſiam Anglicanam, & in Academiã noſtrã Oxonienſem merita, ſemper honorandus. In pignus gratj animi, præſto quod poſſum: quod tamen non neſcio quàm ſit exiguum. Sed, quicquid eſt, Pietati tuæ, vnà mecum, addicitur. Quod feci benignè accipe: ſi non ſatisfeci, clementer ignoſce: Sic tibi faciat Deus:

Pietatis tuæ

reuerentiſſimus

ROBERTVS BVRHILLVS.

Summa capitum

CAP. 1 DE nefarijs Assertionibus : & de vtraq; editione libelli *Becaniani*.

CAP. 2 Ad ea quæ de statu totius controuersiæ, & de scopo & summa Disputationis primæ.

CAP. 3 Ad 8 quæstiones Disputationis de comparatione Regis & Pontficis in veteri Testamento.

CAP. 4 Ad 3 quæstiones Disputationis de Iuramento Primatus Regij.

CAP. 4 Ad 4 quæstiones Disputationis de Iuramento fidelitatis.

CAP. 5 Ad 24 quæstiones Disputationis de ijs, quæ coutinentur in Respõsione Rev^di Episcopi Elienſis Ad Apologiam *Bellarmini*.

Epilogus ex ante dictis colligit, in vno hoc libello *Becaniano* contineri ideam flagitiosissimi scriptoris controversiarum.

CONTRA MARTINI BECANI Iesuitæ, libellum quem vocat *Controuersiam Anglicanam auctam & recognitam &c.*

CAPVT PRIMVM

De nefarijs Assertionibus posterioris huius editionis libelli Becaniani: deque prioris editionis ad istam posteriorem pertinente condemnatione.

BEcanus epistola ad Paulum quintum, *Ante aliquot* (inquit) *menses scripsi hunc libellum: eumque Illustmo ac Reverendmo Domino, D. Francisco Sfortiæ, S. R. E. Cardinali Amplissmo submisse dedicani. Eundem nunc recognitum et auctum Tuo fisto tribunali &c.*] Noluit nos nescire festinationem suam: ne non putemus satis temerè ab eo vel ipsam recognitionem istam editam: neue non fruatur gloriola hac sua, quòd citò scribat. Non mirum, si et ipsa ei recognoscenda *recognitio*, tam citò edita. Sed vbi vtriusque editionis mentionem facit, certè et causæ, cur tam citò post priorem editionem de recognitione cogitarit: nisi causa hæc ejusmodi fuisset, quam ex omni memoria obliteratâ vellet, fidelis narrator meminisset. A nobis hæc commemoranda, quam ipse, si sapit, commemorabit nunquam. exponam breuiter ex ipsis Actis summam rei gestæ.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

¶2. Anno 1612, nundinis Autumnalibus exierat primum hic libellus: ex cujus editionis verbis ipsissimis, Decembri insequente, in Aula Sorbonæ, in Theologicæ Facultatis Comitjis, Doctor Nicolaus de Paris legit assertiones vndecim. Hæ autem fuerunt

1. ex Pag. 108. *Est ergo quæstio, an Pontifex, qui potest Reges et Imperatores excommunicare, vt dictum est, possit etiam deponere, si id meriti sint. Negant Auctor Iuramenti Fidelitatis, Sacellanus, Barclaius: affirmant Catholici, et meritò.*

2. P. 115, *Poterat ergo Pontifex mandare, vt (Reges leprosi) seorsim habitarent: et si nollent obœdire, vt vita priuarentur: nihil certius. Hinc colligimus Pontificem duplici titulo potuisse Reges priuare suo regnò: primo quia poterat eos, si contumaces essent, priuare vita, ergo et regno: de hoc nemo dubitat.*

3. P. 120, *Plus dicam: in hac re tantum valuit consensus populi, etiamsi legitimus hæres cui regnum deberetur superesset: et hoc palam omnibus constaret: tamen si populus prætermisso legitimo hærede alium delegisset, ille alius fuisset verus Rex &c,*

4. ibidem, *Quares an Pontifex propria auctoritate Athaliam regno priuauerit &c. Respondeo et propria auctoritate fecit, et tamen opus fuit conspiratione &c.* & paulò post, *subrogato nouo Rege, Athaliam regno spoliauit.*

5. P. 123, *Dices, Ioiada Pontifex non solum regno, sed etiam vita priuauit Athaliam: ergo, si potestate Pontificia id fecit, sequitur Pontifices veteris testamenti habuisse potestatem non solum deponendi, sed etiam interficiendi Reges &c. Respondeo, Ioiada Pontifex prius priuauit Athaliam regno, deinde vita. Itaq; priuauit*

uauit eam regno, vt Reginam, et publicam personam: priuauit autem vita, vt priuatam personam &c.

6. *P.* 125. *Ex eodem ergo sic argumentor. Quicquid potestatis ac iurisdictionis permissum fuit Pontifici in veteri testamento, hoc etiam in nouo permissum illi est: at in veteri permissum illi fuit vt deponeret Reges, si id meriti essent: ergo etiam in nouo &c.*

7. *P.* 127. *Reges & Principes, qui violauerint Priuilegia Monasterijs a Pontifice concessa, excommunicandos & sua dignitate, & honore priuandos esse.*

8. *P.* 130. & 131. *Tertiò, quia vnusquisque id iure facit, quod ex officio facit: at Pontifex quando deponit Reges contumaces, ex officio id facit: ergo iure id facit &c. Quia Pontifex est vniuersalis pastor ecclesiæ, cui à Christo dictum est pasce oues meas &c. Per canes intelliguntur partim Reges, & Imperatores: Igitur hi canes quamdiu fidi & excitati sunt, Pastori admanum esse debent, at si languidi & otiosi &c, mox à Pastore submouendi, & ab officio repellendi sunt: hoc dictat recta ratio.*

9. *P.* 133. *Quares quomodo fiat hæc depositio: Respondeo variis modis fieri potest: vsitatus modus est hic, vt Pontifex absoluat subditos à debito seu vinculo subiectionis; quo obligati sunt suis Regibus &c. Et quidem potestatem absoluendi (subditos) accepit Pontifex a Christo his verbis:* Quicquid solueris super terram, erit solutum in coelis: *Est autem legitima causa ex parte subditorum, quando Reges vel non defendunt subditos à violenta incursione hæreticorum, vel &c.*

10. *P.* 134. *Pontifex potest & alio modo id facere, nempe per viam compensationis: quod sic declaro*

inter Reges & eorum subditos est mutua quædam promissio, & obligatio &c. Si ergo Reges non præstant fidelitatem ad quam iure obligantur: digni sunt, vt nec subditi præstent ipsis fidelitatem: iuxta illud, frangenti fidem fides frangatur eidem: *Nihil certiùs apud Catholicos.*

11. *P.* 136. *Igitur prima est, vt Rex meritus sit depositionem. Nam si meritus non est deponi non debet. An autem meritus sit, ex prudenti doctorum ac piorum hominum iudicio æstimandum est.*

Has propositiones, in comitijs illis Sorbonicis, Doctor ille *Nicolaus*, sic ab ipso recitatas, *mendacijs æquè ac impostoris exundare dixit: nouorum errorum ac criminũ defensionẽ Catholicis affingere: inducere periculosa schismata: depranare scripturas sacras: atq; ex interpretatione falsa & erronea dominos tẽporales suis in iustè spoliare: execrabilẽ Regũ ac Principũ cædem, tanquam rem licitam & gloriosam Christianis proponere: subindeque publicæ pacis extinctionem, proditiones horrendas, & innumeras populorum strages, rebelliones, ac seditiones varias, in regna omnia importare: demq; ius diuinum & humanum penitùs euertere.*

¶ 3. Nec verò ex sua solius sententia Doctor ille sic locutus, quòd enim non tota Facultas Theologica eandem continuò sententiam pronuntiaret, causa erat, quia Cardinalis *Bonzius* iam ante quibusdam, *mandato Serenissimæ Reginæ, præceperat Facultati significandum, vt omnino abstineret ab istius libelli discussione, quoniam Regina statuerat alia ratione huic malo prouidere.* Nec tamen hoc nuncio acquieuerũt Theologi: quin & Serenissimam Reginam, & Cancellarium Franciæ per delegatos Fayet, Parent, De Paris, & Tranchant,

Tranchant, compellarũt: atque adeo ab ijsdem impetrarunt, vt ad sententiam ferendam procederent. Sed dum interim, illis nimirum (vt videtur) rem procurantibus, qui *huic malo alio modo prouidendum* putarunt, die tertio Ianuarij anni huius 1613, mandante *Paulo* quinto, à sex Cardinalibus librorum censoribus ordinarijs, in quibus & *Bellarminus* nominatur, idem hic libellus decreto publico Romæ condemnatus fuisset, *quod nonnulla falsa temeraria, scandalosa, & seditiosa, respectiuè contineret*: hoc decreto die primo Februarij insequentis, in congregatione ordinaria Facultatis Theologiæ, Parisiensis perlecto, *Ioannes Filesac* Doctor ac *Syndicus* eiusdem Facultatis, nequid vlteriùs de hoc libello, quasi scilicet satis jam ab ipsis Romanis condemnato, deliberaretur; *intercessit: sic que velle Dominum Franciæ cancellarium asseuerauit.* Alioquin, & ipse *Filesac*, qui & in initio similiter ex mandato Reginæ Serenissiuæ restiterat, ne supremam aliquam sententiam ferrent, palam professus, *Se libellum hunc legisse: nec alium quidem a se pestilentiorem vnquam visum.* Quemadmodum & qui huic postremò mandata dederat Cancellarius Franciæ, professus, *se quoque integrum libellum legisse, & valdè perniciosum iudicasse.* Apud quem & princeps delegatorum (quem dixi) Fayet, publico nomine professus, *Facultatem magnopere vereri, ne posteri, in controuersia solicitata à* Becano, *silentium, aut remissionem suam, in eam partem accipiant, vt arbitrentur Theologos Parisienses eandem seditiosissimam doctriuam approbare.* Idẽ etiam Fayet apud Serenissimã Reginam publico nomine orationem sic exorsus: *Facultatem Theologicam humillimé suam Maiestatẽ obsecrare, di-*

ceret, quid iuberet fieri, de peſtilentiſſimo libro, inſcripto controuerſia Anglicana.

¶ 4. Ita cur *Becani* intereſſet, vt orbis Chriſtianus, priorem editionem ab eo recognitam & correctam putaret, & cur ipſe eandem à ſe recognitam eſſe profiteretur, abunde intelligimus. Sed num hac recognitione correctionem juſtam, &, quæ reprehenſoribus Sorbonicis ſatisfaceret, idoneam dedit? Imo verò ex vndecim illis aſſertionibus, quas hi nefarias vocant, tantum tertiam, quæ, ex notoria *Bellarmini* ſententia, populi poteſtatem in legitimo regni hærede exhæredando aſſerit, quia non minus contra Papæ Romani in *Petri* patrimonio principatum temporalem faciebat, omittendam putarunt Romani cenſores: reliquas, id eſt decem ex vndecim, ſuis locis integras, & ne vna quidem ſyllaba mutatas, in hac poſteriore editione retineri voluerunt.

Prima habetur poſterioris editionis, P. 122. 2ª, P. 130. 4ª, P. 135. 5ª, P. 138. 6ª, P. 140. 7ª, P. 142. 8ª, P. 146. 9ª, P. 149. 10ª, P. 150. 11ª, P. 152. Omitti etiam, ex prioris editionis Pag. 98, vnum quoddam atque alterum voluerunt, vbi enim falſus fuerat *Iacobum Regem, eſſe legitimum ſuperiorem in rebus ciuilibus*: vocem *legitimi* in poſteriore editione Pag. 112 omittendam cenſuerunt. Ne illud quidem tolerarunt, quod eadem Pagina 98 prioris editionis dixerat, Regis *Iacobi* ſubditos, *Si opus eſt, debere iuramento confirmare ſe in rebus ciuilibus fidelitatem & obœdientiam ei præſtituros*. Delendum hoc quoque putarunt, pro quo legunt editione poſteriore *Quam* (fidelitatem & obœdientiam in ciuilibus) *Si iuramento confirmari ſibi voluiſſet* (Rex *Iacobus*) *ſummus Pontifex non*

fuiſſet

fuisset repugnaturus. Similiter pro eo quod editione priore P. 102 scriptum fuerat, *verum esse, quòd* Iacobus *sit legitimus Rex Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ:* editione posteriore P. 116 legitur, *verum esse quòd* Iacobus *sit Rex Angliæ &c.* expuncta iterum voce *Legitimus.* Quemadmodum & eodem loco, vbi priore editione dixerat, verum esse *quòd idem in iisdem regnis sit supremus dominus in temporalibus*, posteriore editione expuncta voce *supremus*, tantum dicitur, verum esse *quòd in regnis illis dominus sit in temporalibus.* Eôdem spiritu peruersæ correctionis, vbi Pagina 77 editionis prioris dixerat, *in Christo* (puta dum mortalis erat) *fuisse Primatum spiritualem sine temporali:* posteriore editione P. 89 interserit *aduersariorum sententiâ, & secundum illos:* quemadmodum & statim interserit, *vt illi volunt:* ne scilicet non satis prope ad directi dominij Papalis assertores accederet, nisi significaret, se hoc potiùs ex nostra sententia sumere, quam ex sua agnoscere. Similiter & Pag. 25 editionis posterioris, ne pontificis Romani potestatem restringere videatur ad exemplum Pontificis Iudæorũ, interserit admonitionem, quòd ex nostra sententia hoc exemplum vrgeat. Nec dissimili ratione pro eò quod editione priore. Pag. 80 dixerat, *Ab antiquis temporibus vsq; ad* Henricum 8 *totam Angliam quotannis solitam esse Romano Pontifici dare vectigal, in recognitionem supremæ ipsius iurisdictionis ecclesiasticæ:* posteriore editione Pag. 92 ait, *ab antiquis temporibus regnum Angliæ factum est feudum Pontificis, ex donatione Regum, volentium illud subijcere S.* Petro, *in recognitionem supremæ eius potestatis in ecclesia.*

Atque hæc scilicet illa *nonnulla, falsa, temeraria,*

ſcandaloſa, ac ſeditioſa, quæ in priore editione *reſpectiuè* contineri animaduerterunt ſex Cadinales; ad hoc deputati. *Reſpectiuè* ſcilicet ad poteſtatem Pontificis: quam prior editio minùs, quàm volebant, exaggerauerat? Quæ enim ad minuendam poteſtatem regiam habet editio prior, eorum nihil quicquam aut omittit, aut corrigit poſterior editio: niſi vnum, quod dixi æquè & contra Pontificem facere. Etiam de Cranmero cantuarienſi vnum quoddam manifectum mendacium editionis prioris P. 172, poſteriore prætermittitur, Pag. 229. Sed hoc nihil ad quæſtionem de poteſtate Regia aut Papali: quæ huc ſpectabant, non aliter, quàm vt dixi, mutata, ad maiorem exaggerationem poteſtatis Papalis. Atque hoc ſcilicet erat quod pater Generalis Aquauiua, literis ad *Chriſtophorum Baltazarem*, Prouincialem Ieſuitarum in Francia datis Romæ Ianuarij 2. 1613, & iterum eodem die datis literis ad *Petrum Cotonum*, profitetur *ſe curaſſe notanda, & ad* Becanum *remittenda, quæ vel deleri omnino in priore editione, vel corrigi oportere deprehenſa ſunt*. Sic potuere artifices Itali ſimplicibus Theologis Pariſienſibus ora lepidè ad tempus oblinere: ſic Principibus Chriſtianis illudere. Ex hac ſcilicet correctione, Aquauiua, literis ad *Baltazarem* illum, & alijs ad *Petrum Cotonum* datis, certos nos facit, *vnum* eſſe *Becanũ* qui hìc *peccauerit, non autem vniuerſum corpus Societatis*. Et tamen reliqua, quæ Theologis Pariſienſibus ita *nefaria*, & *peſtilentia* viſa ſunt, omnia, cum alijs compluribus eiuſdem generis, Prouincialis ad Rhenum Scherenus, vnà cum tribus ad hoc deputatis Theologis, auctoritate Aquauiuæ, contemptis Pariſienſibus, approbat.

approbat. Nec dubium quin conscio & annuente, non solum Aquauiua, sed & ipso *Paulo* quinto, cum collegio Cardinalium. Alioquin enim quomodo vel Prouincialis ille Scherenus, vel tres illi Theologi, auderent libri editionem posteriorem, tam paucis immutatis, approbare: cum scirent, ita & de alijs assertionibus, quæ in hac posteriore editione retinentur, & de toto libri Scopo tumultuatos fuisse Parisienses: & ipsos etiam Cardinales, *Super librorum impressionibus in vniuersa rep. Christiana specialiter deputatos*, vnà cum Aquauiua societatis Generali, idque ex mandato *Pauli* quinti, notam priori editioni speciè saltem tenus grauissimam inussisse: atque adeo (vt testatur ad Cotonum Aquauiua) *vehementer doluisse, quòd Romam missa non fuisset, vt ibi recognosceretur?* Habemus igitur in hac secunda editione non solum *Becani*, hominis nihili, sed & ipsius Pontificis, & concilij Cardinalium, & societatis totius Iesuiticæ sententiam: eamque, quod ad præcipua capita, etiam Parisiensium Theologorũ, idest hominum Papisticæ ecclesiæ Gallicanæ principum, iudicio (vtar ipsorum verbis) *seditiosissimam, pestilentissimam, admodumq; nefariam.*

¶ 5. Nec hunc hominem iam amplius, cui nec species quidem vlla humanioris literaturæ, aut elegantiæ, aut diligentiæ, aut acuminis, aut candoris, aut fidei, qui, vt Suffenus ille, ita *longè plurimos facit libros*, responsione, potius quàm contemptu dignum putaremus: nisi quòd non solum suam, sed & eorum quos dixi sententiam, & eam plerumque, si non nudam & euolutam, at minus quàm ante perplexam & obscuram exhibeat. In Care enim isto, post multas

tergiuer

tergiuersationes, periculum maioris audaciæ facere voluerunt homines semper meticulosi: quorum iam sententiam non paulo quàm ante apertiorem, sub *Becani* nomine divulgatam habemus. Legat qui volet, & obstupescat tam decem ex vndecim illis supra positis assertionibus (tertiam enim, vt dixi, posterior editio omittit) quam eas quas hîc, ex eadem editione posteriore, subijciendas putauimus.

11. *P. 27. Regnum originem habuit ex importunitate populi.*

12. Ibidem: *Regem Deus non tam ipse instituit, quàm petenti & murmuranti populo in poenam eorum concessit, & ægrè concessit.*

13 *P. 29. Aliæ tribus, sunt quasi vulgus, si conferantur cum tribu Leui.*

14. *P. 41. Oleum sanctæ vnctionis non erat fusum super caput Regum. Et p. 42. vncti non sunt oleo sancto & p. 43. ne* Salomon *quidem, etsi oleo sumpto de tabernaculo.* Sic enim ait *rectiùs* statui.

15. *P. 46. Quæ est proportio Diadematis regij cum tam multiplici ornatu Pontificali?*

16. *Ead. Pag. Pontifex præter suum officium Pontificale, poterat etiam præstare ea, quæ ad officium Regis pertinebant.*

17. *P. 47. Regis officium erat temporale*: id est, vt ibidem exponitur, totum aut præcipuè in cura rerum temporalium.

18. *P. 48. Pontifex omnia, quæ ad suum officium pertinebant, præstare poterat sine vllo subsidio Regis.*

19. *P. 49.* Loci Num. 27. 21. vbi dicitur, Ad verbum illius egredietur & ingredietur, *Sensus est, Iosue, qui erit Princeps populi, non progredietur cum exercitu,*

exercitu, nec suscipiet bellum cum vicinis hostibus, nec vllam rem aliam magni momenti aggredietur, nisi ad mandatum, & directionem Eleazari Pontificis.

20. Ead. *Pag. Reges semper in negotijs arduis debebant recurrere ad Pontificem: & ex arbitrio illius, vel agere quippiam vel omittere. Et bene cum ijs actum est, qui hoc fecerunt: male, cum ijs qui neglexerunt.*

21. *P. 56. Si aliqua controuersia Legalis fuisset orta, sive in rebus ecclesiasticis, sive in temporalibus, & inferiores iudices, qui erant in singulis ciuitatibus, non potuissent inter se conuenire, recurrendum erat ad Pontificem tanquam ad supremum iudicem: non autem ad Regem: & omnes* (etiam Rex ipse, vt exponitur pagina 76.) *sub poena mortis tenebantur Pontificis sententiæ acquiescere*, & p. 61, *Ad Pontificem tanquam ad supremum Iudicem pertinebant controuersiæ trium regni* (id est tam regni decem tribuum, quam Iudaici) & p. 66, *Pontifex erat supremus iudex, non solum in causis ecclesiasticis, sed etiam in temporalibus.*

22. *P. 65. Leuitæ Pontifici, & non Regi debebant oboedire.*

23. Ead. pag. *Rex non poterat Pontifici quicquam imperare in causis Politicis: & ne in hoc quidem genere eum punire si deliquisset.* Et p. 79 *Pontifex alijs omnibus imperabat.*

24. *P. 75.* De facto Hazariæ summi Sacerdotis, qui Regi Huzziæ summum Sacerdotium affectanti restitit, *vide* (inquit) *quantum fuerit imperium summi Sacerdotis in Regem.* Et statim *p. 76*, huius Sacerdotalis in Regem imperij partem facit,

facit, quod Regem *imperio abdicarit*. Similiter *pag.* 130 Regis leprosi separationem interpretatur depositionem, cum ait *Pontificem etiam hoc titulo potuisse priuare Reges suo regno.*

25 P. 81. *Si inter Pontificem & Regem lis aliqua & disceptatio intercederet: Pontifici potius adhæreret populus quàm Regi.*

26. P. 130. *Huzzias Rex propter lepram seorsim habitare iussus, statim obtemperauit, veritus ne, si contumax esset, morte puniretur*: nempe iussu summi Sacerdotis, vt statim exponitur.

27. P. 133. Ad obiectionem, *quòdnus regni pertinuerit ad Ioasum filium Regis Achaziæ, ideoq; dici non posset, Athaliam legitimè regnasse*, respondet, *hanc rationem non obstare* Et p. 134. cur non obstet, causam reddit: quia populus ignorans Ioasum superesse, Athaliæ regnum admjnistranti consenserat. Ita, qui Serenissim⁹ ac pijssimum *Iacobum* nostrum negat esse Regem legitimum (hanc enim vocem hac posteriore editione semel atque iterum vt dixi expunxit, vbi antea hoc fassus fuerat) Idem immanissimam belluam Athaliam, ad quam nullo stirpis aut generis titulo pertinere poterat regnum Iudæ, quæque totam stirpem regiam id est totam mariti sui cognationem, quam inuenire poterat, immanissimè trucidarat, *Legitimè, etsi vero hærede superstite, atq; adeo bona fide regnasse* contendit. *Athalia* (inquit) *& omnes subditi, bona fide procedebant, illa imperando, hi parendo.*

28. P. 137. *Publica auctoritas non alia fuit in Pontifice Ioiada, quàm Pontificia.*

29. P. 138.

29. P. 138. *Potuisset* Pontifex Iudæorum, *deponere Baasan, Zambri, Sellum, Manahem* (Reges decem tribuum) *Nam hi omnes per tyrannidem regno potiti sunt.*

30 Eadem pag. *Potuisset ex Regibus Iudæ deponere Achaz, Manassem, Amon, & quotquot fuere Reges Israel* (id est decem tribuum) *omnes enim fuerunt Idololatræ.*

Cap. 2.

Ad ea quæ de statu totius controuersiæ, & de scopo, & summa disputationis primæ: qua contendit, Pontificem in veteri testamento octo titulis præcelluisse Regi.

Erenissꝰ (inquit p. 17) *ac potentissimus Magnæ Britanniæ Rex* Iacobus, *ante aliquot annos proposuit suis subditis in Anglia duplex iuramentum: alterum, quo Primatum Regis in ecclesia, alterum quo fidelitatem suam erga Regem contestarentur. Hinc duplex orta controuersia, ex priori quidem iuramento hæc: An Rex habeat Primatum ecclesiæ: ex posteriore hæc: An Pontifex possit prohibere Catholicis in Anglia, ne præstent Iuramentum fidelitatis sub ea verborum forma, qua illis propositum est.*] Hæc Becanus: vbi primum peccatum quod verba ista sonent, ac si intelligi velit controuersiam de Regis Primatu siue suprematu in Ecclesia a facto aliquo *Iacobi* Regis exortam fuisse: tum & hunc Regem, non minus huius iuramenti, quam alterius proponendi auctorem fuisse: atque adeo hoc iuramentum apud

nos

nos non minus vſitatè, quàm alterum à Papiſtis exigi. Non leue, quod hæc tam manifeſtè falſa, vel per mentiendi libidinem, vel per ſupinitatem, & loquendi imperitiam lectori inſinuet. Sed & aliud peccatum grauius, quod in controuerſia Anglicana (id eſt in ea quæ ex Breuibus Pontificijs, & *Bellarminiana* ad Archipresbyterum contra iuramentum fidelitatis Epiſtolâ extitit) quæſtionem de ſuprematu regio, vt primariam, ponat. Iuramentum enim fidelitatis, ſi vel Regij in Eccleſia ſuprematus aſſertionem, vel ſpiritualis primatûs Pontificij abnegationem continet, vno ore corrigendum eſſe confitemur, vt à mente legiſlatorum deuium. Ita ad hanc controuerſiam nihil profecerit aduerſarius, vtcunque vel regium in Eccleſia ſuprematum euerterit, vel alterum ſtatuerit. Nec neſcire hoc potuit, à nobis iam ſæpiùs monitus: ſed diſſimulare voluit, vel vt cauſam apud Catholicos ſuos plauſibiliorem faceret: vel ne hac diſputatione librum ſuum, quaſi cornu copiæ, truncari pateretur. Habuit enim ad hanc rem, etſi iam dudum à nobis refutata, quæ tranſcriberet, (& prolixè quidem tranſcripſit) partim ex diſſidio ſuo Anglicano, partim ex Refutatione, quam vocat, Monitoriæ regiæ, partim ex Refutatione, quam vocat Torturæ Torti. Tertium peccatum, quòd dum alienas quæſtiones in controuerſiam hanc inculcat, omittat genuinam quandam, & propriam, qua quæritur, vtrum coniuratio pulueraria, vt quæ Ieſuitis imputetur, iuſtam legi de iuramento fidelitatis occaſionem dederit. Nec inuitus hic errauit iam ante admonitus: ſed diſſimulare iterum voluit: *μή πυ τις ἐφ' ἑλκεῖ ἕλκος ἄρηται.* Quartũ peccatum, quòd

terminis

terminis nimis generalibus quæstionē præcipuam proponat, cū ait, *Quæri an Pontifex possit prohibere iuramentum fidelitatis sub ea forma qua in Anglia proponitur.* Poterat enim multo planius, & æquè breuiter dixisse, id quæri, quod certè quæritur, *Vtrum licitum sit iuramentum, quo Regi* Iacobo, *in rebus ciuilibus oboedientia & fides inuito mortali quocunq;, & vel Papa Romano reclamante præstanda promittitur.* Sed hæc nimia simplicitas in initio, causam odiosam plurimorum explosioni obijceret. Quintum peccatum, quòd quasi ad crudelitatem indicandam, non vnum, sed duo iuramenta proposita commemoret: cum posterius iuramentum, cuius vnius proponendi auctor Rex *Iacobus*: maiorum nostrorum in altero iuramento proponendo seueritatem, vel plurimum mitiget. Hinc enim iam tandem prouisum, vt nequid necesse sit, per strictiorem alterius iuramenti exactionem incolumitati regis & regni consulere. Quod quanti Papistarum nostratium interfit, non obscurum est. Primum, quia pro iuramento, quod cum Papismo consistere non potest, proponitur iuramentum, quod non tam cum Papismo pugnet, quàm cum noua schola Papistica, & cum Iesuitismo: deinde, quia pro iuramento, cuius obstinata recusatio capitalis est, proponitur iuramentum, cuius nulla recusatio capitalis est.

¶ 2. Pag. 18. *De vtraq;* (inquit) *controuersia Rex ita sentit. Primò, se in suo regno, non modò in rebus temporalibus ac Politicis, sed etiam in spiritualibus & Ecclesiasticis, primatum seu suprematū obtinere.* 2, *Pontificem non habere potestatem prohibendi Catholicis in Anglia, ne præstent Regi iuramentum fidelitatis, sub ea forma*

qua

qua ipſis propoſitum eſt. 3. *Se generatim loquendo nulla ex parte Pontifice inferiorem eſſe. Hæc tria perſequitur in Apologia ſua pro iuramento fidelitatis: & in Moniteria præfatione, quæ poſtea Apologiæ adiecta eſt.*] His verbis dum ſummam vtriuſque ſcripti Regij proponere profitetur: vt ita, ſi ad tria illa reſponderit, ad totum vtriuſque corpus reſpondiſſe videatur, primum diſſimulando peccat. Rex enim præter ea quæ iſte commemorat, multa magni momenti in duobus illis ſcriptis perſequitur. Deinde etiam fingendo peccat. Tertium enim Rex, nec in Apologia iuramenti, nec in Monitoria præfatione *perſequitur*: nedum (vt iſte fingit) *in vtroq; perſequitur.* Semel & obiter huius rei meminit: nec ad quæſtionem vllam de iuramento vel fidelitatis ſubditorum, vel ſuprematus regij: nedum (vt iſte iterum fingit) ad vtramque quæſtionem. Tantum, quia Tortus Scholaſticæ diſputationi regiæ reſpondens, ſignificauerat, perſonæ Pontificiæ dignitatem eam eſſe, vt in edictis eius minimè deſideranda ſit Scholaſtica diſputatio, vbi ſententiæ ſuæ rationes ceterorum more redderet: Ideo nec reticendum putauit Rex Sereniſſimus, de eo quod ſibi itidem (vt qui nequaquam, puta quod ad perſonæ dignitatem, inferior eſſet ipſo Pontifice) non minus hoc conuenire putarit: vt quoniam nihilominus more Scholaſticæ diſputationis ſcribere voluerat, ſaltem non facile nomen ſuum in hac diſputatione profiteretur. Quanta hîc, quàm inſulſa *Becani* iniquitas, quod hoc modo obiter dixerat Rex Sereniſſ: de comparatione dignitatum, id ita arripere, ac ſi hoc ipſum duobus ſcriptis; & in diſcuſſione vtriſque quæſtionis primariæ *perſecutus* fuiſſet? Sed habuit hîc quoque,

que, quæ ex libro quodam suo *de Pontifice veteris testamenti*, transcriberet toto capite primo, per 60 paginas, multa et prolixa et quod nemini credo docto vnquam contigit post tertiam recognitionem vbique verbatim eadem: quæ ne forte alieniora viderentur, finxit vt dixi tertium illud quod Rex in vtroq; suo scripto *persequeretur*. Homo futilis, vt antiqua fidelia nouum parietem dealbaret, fide antiquiorem habuit antiquam fideliam.

¶ 3. Pag. 25. De scopo disputationis primæ, qua Pontificem cum Regem comparat, *Hæc* (inquit) *comparatio hoc loco instituenda est, propter importunitatem aduersariorum in Anglia. Illi enim pro certissimo* (adde ex Pag 18 & *pro potissimo*) *fundamento ponunt, eandem nunc esse proportionem, Regis & Pontificis in nouo Testamento, quæ olim fuit in veteri: vnde sic colligunt.*

Rex in veteri Testamento nulla ex parte fuit inferior Pontifice: sed simpliciter & absolutè superior,

Ergo idem dicendum est de Rege noui Testamenti.

Non disputabo (inquit) *an hoc fundamentum verum sit: scio multos negare. Solum ostendam ex hoc ipso fundamento, quod illi tantopere vrgent, contrarium colligi posse, hoc modo:*

Rex in veteri Testamento multis partibus ac titulis fuit inferior pontifice:

Ergo si est eadem proportio veteris ac noui Testamenti, etiam in nouo multis partibus ac titulis erit inferior.

Antecedens (inquit) *patet quia Pontifex præcelluit Regi his titulis. 1 Originis, & Antiquitatis: 2 Familiæ: 3 Inaugurationis: 4 Vnctionis: 5 Ornatus: 6 Officij: 7 Exemptionis: 8 Auctoritatis.*] Hæc

Aduersarius: vbi primum peccatum, quod potissimum causæ nostræ fundamentum loco tam opportuno prorsus dissimulet: & pro potissimo recitet non potissimum. Potissimum enim causæ nostræ pro juramento fidelitatis fundamentum, vt patet ex scriptis regijs, in eo positum est, quod dicimus promissionem ciuilis obœdientiæ ac fidei regibus deberi a subditis: nec aliud esse hoc fidelitatis iuramentum, quàm huiusmodi solennem promissionem. Agnoscit hoc Eudæmon-Ioannes in Parallelo suo: & fatetur diserté Pag. 305. *Vis* (inquit) *omnis ac nervus Apologiæ hac ratiocinatione continetur. Regibus debetur ciuilis oboedientia ac Sacramentum Politicæ fidelitatis: At oboedientia quàm exigit* Iacobus *Rex ciuilis est, item vt iuramentum fidelitatis: Hac igitur illi debentur.* Alterum peccatum longè omnium grauissimum, quòd sine vlla loci vllius apud nostros scriptores citatione, aut verborum recitatione, rem à nobis minimè confessam pro fundamento ponat nostræ sententiæ, cui maximè innitamur, imò cui ipse in sequentibus toto capite primo per sexaginta paginas vnicè, & deinde capite tertio plurimum, quasi à nobis concederetur innititur. Non potest esse maior ignauissimi hominis impudentia, aut impostura odiosior. Nec effugere potest, quin re patefacta fuste dignissimus appareat. Certè enim pro falsissimo habemus hoc ipsum, quod à nobis pro certissimo fundamento poni ait. *Eandem esse proportionem Regis & Pontificis in nouo Testamento, quæ olim fuit in veteri.* Nemo nostrum, quod scio, hoc ait: nemo id quod ponit P. 140 quasi ex nostra sententia, *Quicquid potestatis ac iurisdictionis permissum fuit Pontifici in veteri Testamento, hoc etiam*

etiam in nouo permissum illi esse. Itaque quod has propositiones illam in prima, hanc in tertia disputatione quasi ex nostra confessione sumit, sicque in solis Assumptionibus probandis laborat, nihil agit. Sed si non ita sentimus, quid est, quòd exemplum Regum Iudæorum vrgemus? Audiat, quod magnus lapis nondum videtur animaduertisse. Non disputamus, argumento *à Pari*: sed *à Minore*. Nimirum hoc modo: id est longè aliter quam somniat:

Iudicialia Mosaica ius regium in multis minuerunt, & sacerdotale auxerunt: vt nihil mirum sit, nobis post horum cessationem, ius regium maius esse, & sacerdotale minùs quam Iudæis fuit:

At etiam sub Iudicialibus Mosaicis Regi supra ipsum summum sacerdotem cura religionis commissa fuit:

Ergo multo magis nunc, ex quo cessarunt hæc iudicialia, æquum est, vt res perinde se habeat.

Non opus pluribus; videt lector longè aliud esse nostræ disputationis fundamentum: atque adeo planè oppositum ei, quod nobis affingit. Videt nullo defensionis nostræ incommodo, imo magno nostræ causæ commodo, à nobis negari hoc ipsum, quod quasi ex indubitata nostra confessione pro præcipuo & maximo prolixarum suarum disputationum fundamento sumit. Nec opus sanè vlterius responderi multa; Maiore enim propositione falsa, dum in solis Minoribus confirmandis laborat, ludit operam.

¶ 4. Sed & iterum ludit operam. Vt enim fateamur quod vult, eandem esse proportionem Politicæ & sacerdotalis potestatis, nunc in Ecclesia, & olim in Synagoga: simulque verum sit, quod vnum contendit,

dit, Pontificem ſub vetere Teſtamento multis titulis ſuperiorem fuiſſe Rege : non tamen inde ſequitur, nunc in Eccleſia Papam Romanum quouis Rege Chriſtiano, ſed ſupremum in quoque regno ſacerdotem, multis titulis Rege eiuſdem Regni ſuperiorem eſſe. Et quid ſi etiam demus, quod minimè dandum eſt, Papam Romanum multis titulis ſuperiorem eſſe quouis Rege Chriſtiano? an ergo rem aliquam confecit aut contra iuramentum fidelitatis aut contra Regium in Eccleſia ſuprematum? Imo vero nihil hinc ſequetur contra iuramentum fidelitatis, ſi modo non ita Regi præcellat Papa, vt poſſit eum regno deponere : nec contra Regium in Eccleſia ſuprematum hinc ſequetur quicquam, ſi modo non ei præcellat poteſtate coactiua corporum. In hac enim hunc ſuprematum interpretamur, cui nihil officeret, ſi Rex compluribus de quibus deinceps contendit *Becanus*, præcellentiæ titulis ſuperaretur à Papa : vel liliorum ſic iactaſſet præcellentiam : quæ *titulo ornatus*, vel quadrupedum & volatiliu m, quæ *titulo antiquitatis*; vel vaſorum tabernaculi, quæ *titulo vnctionis*, non minus quam ipſe Pontifex, Regibus præcellere dicantur. Addidiſſet & Athletas, titulo roboris, & Abſalomum titulo pulchritudinis, & Rabbinos titulo doctrinæ, præcelluiſſe. Nec de talibus præcellentijs exponenda Regis verba : etſi iuxta Latinum tranſlatorem dicat ſe nulla ex parte inferiorem Papa : ſed vt dicat ſe dignitate perſonæ, pontifici Romano parem, & nulla ex parte inferiorem eſſe. Clara res ex Anglicano exemplari.

CAP.

CAP. 3.

An Pontifex in vetere Testamento Regi præcelluerit origine antiquitate, Familia, Inauguratione, vnctione, ornatu, Officio, Exemptione, Auctoritate.

Eadem (inquit p. 27.) *non tam ipse deus instituit, quàm petenti & murmuranti populo in poenam eorum concessit:* 1. *Reg.* 8 4] Hîc quoque quod in primis negamus, pro fundamento sumit: & ne vno quidem verbo probare nititur: id dico, quod supponit loco illo primi Regum, seu primi Samuelis, primum institutam fuisse potestatem Regiam. Nos contra, Saulē non fuisse primum Regem Israëlitarū: ideoq; quocunque modo exposuerimus petitionem populi de Rege iuxta aliarum gentium morem constituendo (varijs enim modis exponitur hæc petitio) illud tamē certum, si Saul non fuit primus Rex Israelis, nec historiam illam de Saulis electione continere institutionem potestatis Regiæ. Qui Philoni Iudæo in sequentibus ita multum tribuit: attendisset quæ alicubi etiam vrget, Philonis huius verba in fine libri tertij de vita Mosis. *Huiusmodi* (inquit) *vita obituſq; Mosis, Regis, legislatoris, vatis, & Pontificis.* Saltem Iesuitam Serarium consuluisset, in suo Iosua. lib. 1. c. 9. *Sic ergo* (inquit) *Israelitarum dux, & vt in Samaritanorum apud Scaligerum Isagoge canonum lib.* 3 p. 218 *vocatur, Rex primus: primus, inquam in terra promissa, deuicta, distributa, & pacata constitutus est Iosua.* Etiam Iudices ipsos quorum iuperium teste Eusebio μοναρχία erat,

si non nomine, aut externa specie & pompa, at aliquo saltem modo Reges fuisse indicant (vt quidem videtur) verba de interregno Iudicum sæpius repetita: *nullum tum fuisse Regem in Israele.* His enim verbis (vt docent interpretes) innititur gesta ea fuisse tempore interregni Iudicum: cum ne Iudex quidem vllus esset: vide Tornielli Annales: qui *Baronianis* à fronte adijciuntur, ad annum Mundi 2594. n. 1.

P. 28. *Præcellunt etiam titulo antiquitatis: Nam primus Pontifex fuit* Aaron *&c. At primus Rex fuit Saul: quem constat amplius quam* 400. *annis post* Mosem *secutum esse. Vixit enim &c.* Perpetuus nugator, quod extra omne dubium est, *Aaronem* multo fuisse antiquiorem *Saule*, per annorum, & Iudicum intercedentium computationem diligenter probat: quod autem (vt iam docui) merito negatur, de primo Rege, cui fundamento iam iterum innititur, id verò gratis sibi concedi postulat.

¶ 2. *P.* 29 De titulo familiæ. *Tribus* (inquit) *Leui habebatur inter omnes tribus honoratissima*] At aliter certè Pater tribuum Gen: 49. qui post quam v. 4 rationem reddiderat, cur *Ruben*, etsi omnium primogenitus, minimè tamen inter omnes excelleret, & v. 5. 6. Et 7 itidem fecerat de natu proximis, *Simeone* & Leui, tandem versu 8° & sequentibus, Iudam, à quo longa regum series propagata, donat dignitate principali: vt exponitur, 1. Chr. 5, 2. Nec obstat, quòd *Iosepho* duplo majorem sortem præ fratribus tribuerit: quod Deutr. 21. 17 exponitur ius primogenituræ. Respondet locus, quem dixi, primo Chronicorum: vbi sic legitur ex Hebræo: *Tradita est primog nitura eius* (1 Rubenis) *filijs* Ioseph *filij Israelis:*

Israelis : & non recensitus est (Ruben) *in primogenitura. Sed Iuda praeualuit prae fratribus suis : & antecessor ex eo est : & primogenitura* (id est, alioqui, si principatum qui pars est primogenitura exceperis, primogenitura) *Iosephi est.* Nam quod tribus *Leui, speciatim diuino cultus consecrata* erat, causa erat, cur omnium sanctissima esset, non, cur omnium nobilitate ciuili excellentissima: vel, vt vsitato more loquar, causa erat, cur omnium reuerendissima esset, non cur omnium honoratissima. Nec rectè legit Sophista locum Leuit. 21 14. quasi ibi diceretur, *Accipiet* (summus Sacerdos) *puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis vulgo gentis suae.* Hebraica veritas sic habet: *Virginem è populis suis* (id est saltem ex aliqua tribu Israelis) *ducito: ne profanato semen suum in populis suis:* id est, semen suum per matrimonium cum aliquâ, quæ non sit ex populo Israelitico, ne exponat despectui, inter filios Israelis. Ita in nihilum abit, quod hinc colligit, *alias tribus quasi vulgus fuisse respectu tribus Leui.* Nec opus dispensatione in nuptijs Ioiadæ Pontificis, cum sorore Regis: vt frustra tam multa hîc de causis dispensationis quasi in Cancellaria Papali nugetur. Vide autem & *Eusebij Cæsariensis* Demonstr: l. 8. vbi dignitatis tribus Iudæ præ omnibus tribubus, testimonia multa è scripturis colligit. Nec si strictiùs requirebatur, vt summus Sacerdos esset è tribu Leui, & è familia *Aaronis*, quàm vt rex è tribu Iudæ, aut è familia *Dauidis:* ideo sequitur (vt vult *Becanus*) summi Sacerdotis nobiliorem fuisse familiâ, quàm Regis: quin hoc tantum hinc sequitur, inter Sacerdotales familias *Aaronica* priuilegium maius fuisse ad summum Sacerdo-

tium, quàm *Dauidica* inter regias ad regnum. Quemadmodum & ad illud assequendum maius fuisse priuilegium tribus Leui, quàm tribus Iudæ, ad hoc assequendum. Nam quòd vrget de summo sacerdotio ad filium primogenitum semper spectante, certè & in sacerdotibus necesse tanto sæpiùs præteritum primogenitum, quanto plures exceptiones, vnde summi Sacerdotis primogenitus à summo Sacerdotio, quàm vnde Regis primogenitus, a regno excluderetur. Nec ex multis illis exceptionibus, quas vrget, quicquam sequitur, nisi maiorem munditiem legalem in summo Sacerdote requisitam, quia propius ad deum accedebat. Quod & de eo dicendum, quod vrget, & fatemur verum esse, Pontifici minorem fuisse quàm Regi libertatem, in delectu eius, quam in vxorem duceret.

¶ 3. *P.* 33. De titulo inaugurationis, *Nullius* (inquit) *Regis inauguratio fuit tam solennis, quàm* Salomonis] Hinc colligit, si *Salomonis* inauguratio minus solennis fuit, quàm Pontificis, & ceterorum regum itidem fuisse. Sed primum in Antecedente concedi postulat, quod probandum fuerat. Dixi enim, cur putemus *Mosem* Israelitarum Regem fuisse: at huius inauguratio, quanta cum Maiestate: cum appareret ei Angelus in flamma è medio rubi, nec tamen rubus consumeretur: cum etiam locus in quo staret ob dei propinquitatem ita sanctus esset, vt exuenda ei calceamenta essent: cum absconderet faciem metu ne intueretur deum: cum miraculis confirmaretur, ipsique *Aaroni* vicedei constitueretur? Quid simile istis in inauguratione siue consecratione *Aaronis*? Nec *Iosuæ* quidem Consecratio minoris solennitatis

tatis quàm *Aaronica*: quin potiùs maioris. Cum primum post preces *Mosaicas* designatur Num. 27, & deinde, Deutr. 3, & 31: cum Deo iubente sistitur vnà cum *Mose* ad tentorium conuentus, Deusque ipse apparet in tentorio stante columna nubis super portam tentorij, Deutr. 31, 15: cum Canticum testimonij vnà cum *Mose* recitat coram populo, Deutr. 32, 44: cum post mortem *Mosis* immediatè a Deo mandata & promissa accipit, Ios. 1, 1.

Nec integra est inaugurationis *Salomonis* narratio, quam recitat *Becanus*, ex 3 Reg. 1: quin eodem etiam pertinent mille holocausta Gibeone oblata, c. 3: & quod narratur deum ei ibidem apparuisse, & optionem præbuisse petendi quod vellet. Quòd vrget in omnibus regibus inaugurandis non fuisse seruata, quæ de aliquibus legimus: nec præcisè præcipi de Regibus, vt de Pontifice: Respondeo, nec de inauguratione summi sacerdotis videri omnia quæ cómemorat, in singulis successoribus repetita. certè in *Eleazari* consecratione primum non fuisse, deinde fuisse repetita, tradit hîc *Becanus* de Pontifice veteris test. qu. 3. Nec ideo maior solemnitas in summi sacerdotis inauguratione, quòd omnia hic ex legis præscripto fierent: quin ipsum istud, quod nihil hic nisi ex præscripto agendum esset, multam celebritatem, quæ Regum magnificentiæ permittebatur, exclusit.

De titulo vnctionis, per octò paginas spatiatur, vt lubet: nec breuis deinde mora de titulo ornamentorum. Sed scimus 1 Sam. 2, 35, vbi simul de Rege & summo sacerdote sermo est, Regem emphaticè dici *vnctum domini*: *ambulabit* (inquit Summus sacerdos Sadok) *coram vncto meo* (Salomone) quemadmodum

&

& 1 Sam. 12, sæpiùs in conuentu totius Israëlis, cui proculdubio interfuit summus sacerdos, Rex vocatur *vnctus domini*: id quod ambiguè, & minus rectè (vt videtur) præsente summo sacerdote, de Rege sine distinctione diceretur: nisi speciali iure hic titulus Regi præ sacerdote conueniret. Vnde & 1 Chron. 29 22, vbi de vtriusque vnctione sermo est, priore loco Rex nominatur: & quamuis vtrumq; domino vnxerunt: de Rege tamen expressè hoc dicitur, quasi Regem peculiari iure agnoscere scriptura dicendum vnctum domini: *vnxerunt* (inquit) *Salomonem Domino in Regem: & Sadokum in sacerdotem.* Sic & 1 Sam. 16 *vnges mihi quem dixero tibi.* Nec obscurum, tres rationes, quas affert aduersarius, cur vnctio Pontificalis regiæ præcelleret: non minus contra regiam, quàm contra ipsam Seruatoris vnctionem concludere. Nam ne eum quidem legimus extrinsecè vnctũ fuisse: nec vllum de eo sic vngendo præceptum extat: nedum vt publicè vngeretur: aut vt vnguento, quod in tabernaculo asseruaretur. Nec in accuratione vel inauguratione, vel vnctione, vel ornatu, signum vllum necessarium præcellentiæ dignitatis, nedum potestatis, de qua sola quærimus: sed tantum vocationis quoad legalem sanctimoniam purioris: quam cum in summo sacerdote Iudæorum præ Rege fuisse concedimus; certè nec dignitati, nedum potestati Regum Christianorum detrahimus quicquam. Hæc enim legalis puritatis præcellentia Sacerdoti præ Rege ob duas causas competebat, quarum causarum neutra sub Euangelio vim suam obtinet. Vna erat, quod typus esset Christi: qualem vmbram iam, postquam ipsum corpus habemus, ecclesia nullam desiderat: altera

tera erat, quod in sanctum sanctorum, quasi ad præsentiam Dei, qui *in propinquis suis sanctificari vult*, ingrederetur: nec iam vllus huiusmodi terrestris ingressus; postquam summus noster sacerdos in cœleste sanctum sanctorum intrauit. Nec tamen Seruator, vbi Matth. 6, meminit ornatus splendidissimi, ornamentorum Sadoki Pontificis meminit, sed Regis Salomonis. Nec ad Pontificem, sed ad *domos Regum* Matth. 11, remisit eos, qui vestimentorum pulchritudinem inhiare cuperent. Nec Ecclesiasticus, quem laudat aduersarius c. 45. v. 15, ita loquitur de vestimentis Aaronis, vt iste recitat, *Sic pulchra ante ipsum non fuerunt*: sed *ante eum res non fuerunt eiusmodi*.

¶ 4. De titulo officij p. 47. *Prima* (inquit) *conclusio, officium Pontificis in Lege Mosaica fuit excellentius multo quam Regis*] Primum, si ita esset: nihil tamen ne hinc quidem sequeretur contra nos. Non enim sequitur argumentum ab excellentiore officio ad superiorem potestatem. Ne dignitatem quidem personæ maiorem esse sequitur, in quocunque officium excellentius est: ratio: quia ad personæ dignitatem plura concurrunt, præcipuè voluntas eius qui rerum dominus est: & deinde etiam potestatis discrimen: prout quisque legitima potestate coactiua plus poterit. Sed qua ratione probat Pontificis officium multo excellentius fuisse? *Ratio* (inquit) *est, quia Pontificis officium fuit spirituale, Regis temporale*. temporale officiū intelligit, quod præcipuè versetur circa res tēporales. Sic tēporale fuisse Regis officiū probat, quia *populus ad hæc præstanda petierant sibi Regem*: quasi verò non & in officio Regis errare potuisset populus:

lus: qui & in petitione tantopere peccauit. quanquam quidni & prudens aliquas officij Regij partes omiserit? Nec tamen ad sola illa, quæ commemorat, *præstanda regem petiuerant*: quin in verbis *indicabit nos*, & *ingredietur egredieturq; ante nos*, longè amplius intelligi conuenit. Nec Philonis locus, quem hîc promittit Becanus alibi proferendum ex libr. de Legatione ad Caium, ipsius Philonis sententiam continet: sed Herodis Agrippæ verba ex epistola eius ad Caium, grauis scilicet auctoris: quem Acta Apostolorum cap. 12 testantur ob impietatem ab Angelo percussum, & erosum à vermibus: qui & Iacobum fratrem Iohannis, occidit: & Petrum occisioni destinauerat. Nec tamen quicquam hic auctor contra nos affert: nisi quosdam ex maioribus suis Pontificatum, ob excellentius obiectum, Regno excellentiorem putasse: quomodo & Aristotelici, & Monachi suam vitam contemplatiuam omni vita practica, ideoq; & munere Regio, simili planè ratione excellentiorem putant. Quod etsi falsum sit, concedi tamen hoc loco sine incommodo posse, iam indicaui, qua de re hunc Becanum ante biennium etiam pluribus monui, Responsione contra ipsum pro Tortura Torti cap. 8.

P. 48. *Secunda* (inquit) *conclusio: Pontifex in suo officio non dependebat à Rege: & tamen Rex sæpe dependebat à Pontifice*] Priorem partem probat falso manifestò. *Prior* (inquit) *pars probatur, quia Pontifex poterat omnia præstare, quæ ad suum officium pertinebant, sine vllo subsidio Regis.* Quasi verò nec defensione regia eguerit. Non enim (credo) negabit defensionem in genere *subsidij* esse. Sed & sic dependisse Pontificem à Rege,

Rege, quomodo ſtatim vult Regem à Pontifice dependiſſe, nimirum vt in rebus officij ſui Pontifex à Rege mandata acciperet; vbi nullum erat Dei expreſſum mandatum, indicat locus Ezræ 2, 63. *Edixit Legatus Regis iis, ne comederent de reſancta ſanctarum, donec exiſteret ſacerdos cum Urim & Thummim.* Item verba Dauidis ad Sadokum 1 Reg. 1, 33. *Sumite vobiſcum ſeruos domini veſtri*, puta Salomonis.

Eadem pag. *Poſterior* (inquit) *pars, nempe Regem ſæpe dependiſſe à Pontifice, probatur ex contrario principio. Nam Rex non poterat omnia præſtare, quæ ad officium ſuum pertinebant, ſine ſubſidio Pontificis.* Ineptiſſima conſequentia. Nam nec ſine ſubſidio paſtorum, aratorum, opificum ſua præſtare Rex poteſt. an ergò & ab his omnibus dependet: idque ita, vt ab his mandata expectet: & ex horum *arbitrio vel agat quippiam, vel omittat*? Sic enim ſtatim loquitur, vbi vlterius Regis à Pontifice dependentiam explicat. *Non ſolum* (inquit) *Ioſue, ſed & alij Principes, ac Reges, qui deinceps ſecuti ſunt, ſemper in negotijs arduis debebant recurrere ad Pontificem, & ex arbitrio illius vel agere quicquam, vel omittere.* Probat hanc tam admirabilem aſſertionem, primum ex Lege Num. 27, 21, *Pro hoc Ioſue Eleazar conſulet Dominum, ad verbum illius egredietur & ingredietur ipſe.* Hoc loco illud *ad verbum illius*, quod nemo non videt, & Serarius Ieſuita non negat, eſſe ad verbum Domini, exponit *ad verbum Eleazaris*: cuius tam putidæ deprauationis, cum eum ante biennium, in Reſponſione quam dixi pro Tortura Torti, admonuerim, & vltra addiderim, ſi verbum Eleazari intelligeretur, nullum tamen aliud verbum eius intelligi poſſe, niſi verbum internuncij: quod nemo exponere

ponere possit mandatum aut arbitrium internuncij: nugator ignauissimus, responsionem dissimulans, quasi de re confessa loqueretur, ita loquitur: nec opus hîc sibi putat, aut rationem reddere, aut auctorem nominare. Deinde & eadem odiosa nugatione, hoc idem probat ab exemplo eorum, qui deum per sacerdotem consulebant, aut consulere negligebant. Vbi itidem, vt ante, impudentissimè sine omni confirmatione pro eodem habet, diuino oraculo parêre, & *ex arbitrio sacerdotis quippiam agere.*

Pag. 52. *Tertia* (inquit) *conclusio, Pontifex praeter officium suum pontificale, poterat etiam praestare ea, quae ad officium Regis pertinebant: at Rex non poterat praestare ea, quae ad officium Pontificis spectabant.* De posteriore parte, quam frustra confirmat, non pugnamus. Priorem partem, quam probat exemplo *Ioiadae*, liquid vult ad propositum, ita intelligi oportet, vt dicatur Pontifex *quà Pontifex*, & *vel inuito Rege, suo, non Regis nomine*, praestare potuisse ea, quae ad Regis officium pertinebant. At neutrum horum sequitur ex exemplo *Ioiadae* Pontificis Athaliam deponentis: qui, quod fecit, non fecit quà Pontifex, sed quà Regis legitimus Protector: nec sua Pontificali (quod Sophista hîc sumit & p. 136 frustra, vt docebitur, probare nititur) sed regia auctoritate.

Pag. 55. *Quarta* (inquit) *conclusio: si aliqua controuersia legalis fuisset orta, siue in rebus Ecclesiasticis, siue in temporalibus, & inferiores iudices, qui erant in singulis ciuitatibus, non potuissent in ea definienda inter se conuenire, recurrendum erat ad Pontificem, tanquam ad supremum iudicem, non autem ad Regem: & omnes sub poena mortis tenebantur Pontificis sententiae acquiescere.* Et p. 66, ne-

66, nequam forte in nomine *legalium* cuasionem quę-sisse videatur, simpliciter pronunciat, *Pontificem supremum fuisse iudicem non solum in causis ecclesiasticis, sed etiam in temporalibus.* Vnde & concludit ibidem, *Regem non potuisse quicquam Pontifici in genere causarum Politicarum imperare; nec omnino trahere eum ad suum tribunal, aut sententiam contra eum pronuntiare, aut punire eum, si, vel in Politicarum causarum genere, deliquisset.* Ita cum Pontificem in toto genere causarum Politicarum exemptum à potestate regia fuisse, ex eo colligat, quòd Pontifex in hoc genere supremus iudex fuerit, certè & in toto hoc genere supremum fuisse vult: atque adeo ita supremum, vt Rex in causa propria & Politica eius sententiæ acquiescere debuerit (vt exponitur pag. 76) idque sub pœna mortis: vt tradit p. 130: vbi legem capitalem Deutr. 17, 12. vnde hanc conclusionem educit, expresse ad ipsum Regem extendit.

Hanc conclusionem tam admirabilem, quam & alibi sæpe repetit, & pro fundamento habet aliarum rerum maximarum, ex duobus locis sacræ Scripturæ, & ex *Iosepho*, atq; adeo ex ratione probari ait. Prior locus sacræ Scripturæ Deutr. 17, 12: vbi legit, *Qui autem superbierit, nolens obœdire sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Alter locus 2 Chr. 19, 11. *Amarias autem sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* De vtroque loco non nesciebat quid à nostris iam ferè centies responsum sit: dissimulare tamen voluit nugator ignauissimus: & quamuis iam tertiò ista excuderit, tamen nec interpretem proferre voluit vllum, quo auctore interpretationem tam admirabilem nobis persuaderet: nec vel illud in priore

priore loco de *Sacerdotis imperio* omittere: quod sciunt omnes per textus corruptionem, pro eo quod in Hebræo est, *vt non auscultet sacerdoti*, in vulgatam translationem irrepsisse. Tum nec ex ipsa sua vulgata recitat bona fide: quin, quod omnia euerteret, omittit. Non enim secundum hanc translationem dicitur, *Moriendum ei, qui sacerdotis imperio noluerit obœdire: sed qui obœdire noluerit sacerdotis imperio, & decreto Iudicis.* Sic legunt emendatissimæ editiones Romæ editæ: quibus deprauatio illa Louanienſium, qui legunt *ex decreto Iudicis*, ingenuè corrigitur: quemadmodum & v. 9 secundum eandem translationem legitur, *Veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore.* Nec dubium quin nomen iudicis hoc loco, quod disertè à sacerdotibus v. 9. & à summo sacerdote v. 12°, distinguitur, significet ciuilem Magistratum, qui aut Rex ipse sit, vt tempore *Mosis*: aut instar Regis, vt tempore Iudicum; aut à Rege deputatus vt *Zebadias* à *Iehosaphat*, 2 Chr. 19. Et quomodo igitur homo amens, ex hoc loco probabit, *Recurrendum ad sacerdotem, non autem ad Regem*, vbi apertè dicitur ad sacerdotem *& ad Iudicem*: qui scilicet Regiam auctoritatem habeat? quomodo ex hoc loco probat sacerdotem fuisse *Iudicem supremũ*, vbi etsi sacerdotis mentio sit, nomen tamen *Iudicis* alteri, nempe ciuili magistratui, tribuitur? Planè, cum mentionem istam *Iudicis* ita sibi aduersam videret, omittendam putauit, pro fide sua Iesuitica.

Nec meliore fide recitat locum 2 Chr. 19: vbi si addidisset, quod in contextu habetur, de *Zebedia duce Primario, in omni negotio Regio*, planè euertisset, quod quarta hac sua conclusione contendit, *Pontifi-*

cem

cem etiam in causis temporalibus, id est, vt ipse exponit, in negotio Regio, *supremum iudicem fuisse*. Ex eodem etiam loco, si integer recitaretur, pateret falsum esse, quod sumit, de ipso Rege ex hac Lege, Deutr. 17, 12 saltem in genere causarum Ecclesiasticarum subiecto sententiæ Pontificis. Vtrumque enim Præsidem, tam Pontificem in rebus Dei, quàm Ducem in rebus Regis, à Rege *constitutum* docent versus octauus & duodecimus. Nec aliter Pontificem in altero genere, quàm Ducem in altero præsidere iubet *Iehosaphatus* Rex: nec in diuersis, sed in eodem synedrio. Nec negari potest, quin hoc exemplum *Iehosaphati* legitima executio sit constitutionis Deutr. 17, 12. Itaq; cum eodem modo in suo causarum genere vterque præsideat: & vterq; auctoritate regia: certè Rex ipse hac quidem constitutione, vt non Iudicis Politici in temporalibus, ita nec Pontificis sententiæ in Ecclesiasticis subijcitur.

Nec adiuuat aduersarium locus *Iosephi*, quem vrget ex lib. 2, contra *Apionem*: *Pontifex* (inquit) *leges custodit*, (puta vt in multis causis præses synedrij) *diiudicat controuersias* (puta non solus, sed cum synedrio, cui in multis causis præest) *conuictos delicti punit* (eos scilicet qui sic ipsius iudicio subijciuntur, non autem omnes delinquentes) *qui ei non obœdit*, supple, modò persona priuata sit, aut saltem infra ipsum Regem, horum (inquit) siquis Pontifici synedrij sententiam, quatenus synedrio præsidet pronuntianti, *non obœdit, is pœnas luit tamquam in Deum impius*. In pœnalibus enim, si æquum est excipi Cardinales, nisi nominentur (vt censuerunt Tridentini Sess. 24. de reform. c. 1) quidni & de Regibus itidem sentiendum? Nec dubi-

um, quin *Iosephus* potestati regiæ iniquior fuerit: æquior Pontifici & Pontificiæ Aristocratiæ, qualis ferè post captiuitatem Babylonicam Hierosolymis fuit. Itaque, si etiam Regem synedrio aut Pontifici subiectum, & vsque ad pœnam capitalem subiectum putasset, nequaquam de hac re, & hoc loco, & vbique siluisset. Imò verò legem istam, Deutr. 17, ideoq; & verba, quæ vrget aduersarius ad hanc legem manifestè respicientia, à *Iosepho* intelligi de statu Aristocratico, ac si eum *Moses* vel solum, vel præcipuè intuitus fuisset, indicat locus, lib. 4. Antiq. c. 8: vbi postquam legem istam, Deutr. 17, exposuerat, *De adeunda sacra ciuitate, & audiendo summo sacerdote, Propheta, & senatu:* quasi hæc lex ad Aristocratiam præcipuè pertineret, continuò addit, sub persona *Mosis*, Ἀριστοκράτεια μὲν οὖν κράτιστον καὶ ὁ κατ' αὐτὴν βίος, καὶ μὴ λάβοι ὑμᾶς πόθος ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε. Quorum verborum cohærentia cum prioribus planè absona esset, si in prioribus agnouisset *Mosem* Lege, Deutr. 17, Pontificis summi, supra ipsos Reges, in causis tam Ecclesiasticis quàm Politicis Monarchiam constituisse. Vide & eundem. Antiq. lib 6, cap. 14, vbi, post narrationem de cæsis a *Saule* sacerdotibus, etsi oblongum hac occasione excursum subnectat, contra Regiũ dominatum, tamen ne verbo quidem vno accusat *Saulem*, quòd Sacerdotes à suo iudicio exemptos ad suum tribunal traxerat: aut quòd de summo sacerdote, qui à nemine iudicandus esset, quemq; pro iudice suo ordinario rex ipse agnoscere deberet, iudicare præsumeret.

Itaque quòd Aduersarius pag. 84. in conclusione huius loci, vocat *præclarum* huius *Iosephi testimonium*, etiam

etiam in nihilum recidit: verba sunt ex eodem lib. 2, contra *Apionem*: *Quænam* (inquit) *pulchrior aut iustior queat esse lex, quã, quæ & Deum fecit omnium moderatorem, & sacerdotibus communiter res maximas administrandas commisit: rursumq; ceterorum sacerdotum gubernationem summo omnium Pontifici credidit?* & paulo post, *erat autem eorum muneris legem ceteraq; instituta diligenter curare. Nam & omnium inspectores, & controuersiarum Iudices, & condemnatorum punitores constituti sunt sacerdotes. Quisnam igitur Principatus fieri possit hoc sanctior, aut quis honos Deo conuenientior: vbi & plebs vniuersa ad pietatem est benè comparata, & sacerdotibus concredita est cura præcipua, & vniuersa resp. instar ceremoniæ cuiusdam administratur?* Ex his verbis, pro alterius loci (de quo modò dixi) interpretatione testimonium manifestum habemus. quòd enim loco illo altero de Pontifice, *Leges custodiente, controuersias dijudicante, cõtrectos puniente dixerat*, idem hoc loco ait de *Sacerdotibus communiter*. vnde sequitur, & prioris loci similem esse sententiam: vt quæ *sacerdotum communiter* fuerint, ea Pontifici tribuerit, quia in synedrio, præsertim in Aristocratia (quam, credo, à *Mose* præcipuè institutam putauit *Iosephus*) Pontifex, vt persona primaria, sententiam plerumq; pronunciabat. Nec obscurum, si de Sacerdotum concilio intellexit *Iosephus* ea, quæ loco priore citantur, & de synedrio intellexisse: quod non ex solis sacerdotibus & *Leuitis*, sed etiam ex septuaginta primoribus tribuum constabat. Sine his enim primoribus, nullum agnoscunt historiæ concilium ex solis sacerdotibus & Leuitis constans: ad quod singularum ciuitatum causæ per appellationes, aut propter difficul-

tatem iudicij deferrentur. Ne in ſingulis quidem ciuitatibus ita fuit, vt fingit aduerſarius, pag. 57, *iudicaſſe ſacerdotes de controuerſijs ceremonialibus, vt de Lepra: & Laïcos de iudicialibus, vt de ſanguine.* Quin & in ciuitatibus ſingulis, & Hieroſolymis vna ratio: vnum hîc, vnum illic forum de vtroq; genere cauſarum. tantum in rebus Dei Sacerdotibus deferebatur, vt in altero genere ſenioribus ciuitatis, aut tribuum. Nec, ſi ſynedrio, aut etiam ſolis ſacerdotibus concredita cura præcipua reip. ideo & Rex ipſe eorundem iudicio ſubiectus: aut ſuperius eorum tribunal quam Regiũ. Nam & *Ioſepho* Patriarchæ concredidit *Pharao* præcipuam curam regni, nec tamen ſe ipſum eius iudicio ſubiecit: aut à *Ioſepho* ad ſe appellari noluit. Quanquam *Iuſtinianus* Nouella 123 Canonẽ Chalcedonenſem ſecutus, à Patriarcha Diœceſeos appellari noluit: qui tamen omnes Patriarchas nihilominus ſibi ſubiectos putauit: vt patet ex eo, quòd duos ſucceſſiuè Pontifices Romanos depoſuerit. Nec tamen verba *Moſis*, Deutr. 17, 12, appellationem ad Regem excludunt: tantum ei, qui per ſuperbiam obœdire ſynedrio noluerit, pœnam capitalem ſancit. aliud autem appellare ſuperiorem iudicem, aliud per ſuperbiam committere, vt inferiori iudici non obœdias.

Pag, 58, ad vltimum quartæ ſuæ concluſionis ſubſidium accedit Aduerſarius. *Et ratione* (inquit) *demonſtrari poteſt hoc modo.*

Controuerſiæ Legales, quæ oriebantur ex Lege Moſaica, non ſatis benè intellecta, non poterant dirimi, & dyudicari, niſi per veram Legis Moſaicæ interpretationem. Ergo illius erat dirimere & dyudicare

care eiusmodi controuersias, cuius erat interpretari ipsam Legem.

At sacerdotum, & maximè Pontificis, non autem Regum, aut principum secularium erat interpretari Legem.

Ergo Sacerdotum, & maximè Pontificis, non aliorum, erat dirimere & dijudicare controuersias legales.

Primum conclusio nimis angusta. Vult enim aduersarius (vt docui) Iudæorum Pontificem in toto genere causarum, tam Ecclesiasticarum quam Politicarum, supremum Iudicem fuisse. Vnde quæstione sequente ex hac conclusione infert, Pontificem in vtroq; genere exemptum fuisse à potestate Regis. At harum certè causarum pars exigua causæ Legales: id est (vt exponit) eæ quæ oriebantur ex controuersia de legis sententia. Deinde etiam in conclusione nimia impudentia, dum loco *Mosaico* iam apertiùs, quàm ante, contradicit. *Moses* ait, in his controuersijs legalibus, *Venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem, qui erit diebus illis*, Deutr. 17. v. 9. Becanus, *Sacerdotum erat, & non aliorum, has controuersias legales dirimere.* Sed & falsa maioris consequentia, quam dum pro indubitata sumit, de sola Minore, quam concedimus, laborans, facit secundum suum, iam sæpe notatum, vbiq; obuium morem odiosum. Consequentiam enim Maioris falsam esse patet, ex simili exemplo. Iustinianus Instit. l. 1 tit. 2, *Responsa* (inquit) *prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere. Nam antiquitùs institutum erat, vt essent qui iura publicè interpretarentur: quibus à Cæsare ius respondendi datum est: qui iurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem*

tenebant, vt iudici recedere à responſo eorum non liceret. Videmus non minus in Romana rep. quàm in Iudaica, fuiſſe quoſdam iuris interpretes, à quorum reſponſis, vbi de legis ſententia ambigeretur, iudici fas nõ erat recedere: nec tamen (credo) adhuc extitit, qui hoc argumento contenderit, in Romana rep. iuris interpretum, & *non aliorum, fuiſſe dirimere & dijudicare controuerſias legales.*

Quinta concluſio pag. 60. de Pontificis iuriſdictione tam quoad cauſas, quàm quoad perſonas & loca, latiùs patẽte quàm Regia, quòd ad priorem partem, de cauſis non ſolum Eccleſiaſticis ſed etiam ciuilibus, nititur concluſione quarta: quam (vt iam docui) fruſtra hìc ſumit pro demonſtrata. Poſteriorem partem, de perſonis & locis, probat, quia Pontifex in vtroque regno habebat ſuam iuriſdictionem: vbi, quòd ſolum laborat de antecedente, cum etiam conſequentia falſa ſit, antiquum obtinet: conſequentiam dico falſam: quia perinde diſputat, ac ſi iuriſdictionem Aqua-viuæ, quia omnibus Ieſuitis, vbicunq; fuerint, imperat, quoad perſonas latiùs patere colligat, quàm iuriſdictionem Regis Hiſpani. Sed nec rectè confirmat antecedentem. *Habebat* (inquit) *in vtroq; regno Pontifex ſuam iuriſdictionem, primo, quia in vtroq; poterat exigere decimas, & primitias, & pretia primogenitorum:* at iſta nihil ad iuriſdictionem: nec exigere iſta potuit in regno decem tribuum, qui legitimam nullam cuiuſquam in hoc regno cogendi poteſtatem habuit. *Secundò* (inquit) *quia in vtroq; regno habebat Leuitas ſibi ſubiectos.* Sic iſte: & tamen teſtatur ſcriptura 2 Chr. 11, 13, *Sacerdotes & Leuitas, qui erant in toto Iſraele, ſtitiſſe ſe Rehabboamo, è toto termino ſuo: derelictiſq;*

lictis q. prædijs suburbanis suis, & possessione sua, abiisse ad Iehudam: cum reijceret eos Ieroboamus & filij eius, ne sacerdotio fungerentur. Tertiò (inquit) *quia ad Pontificem, tanquam ad supremum iudicem, pertinebant controuersiæ vtriusq. regni.* Magnum figmentum de vtroque regno, quod nec de Iudaico verum esse iam docui: iste autem iam etiam de altero sine confirmatione pronunciat: cum synedrium, quod regiam potestatem continebat, necessariò duplex esse debuerit, postquam iam duo Reges ex vno extiterunt. *Quartò* (inquit) *quia reges vtriusq. regni non poterant bellum suscipere, aut aliam rem magni momenti agere, nisi consulto per Pontificem oraculo.* At hoc (vt supra monui) nihil ad iurisdictionem, nihil ad vllam sub Pontifice subiectionem: Aduersarius hoc loco iam iterum pro eodem sumit, narranti credere, & imperanti parere. etiam gratis sibi concedi hoc postulat: quia argumentis euinci nullo modo poterit.

¶ 5 De titulo exemptionis Pag. 62, *Prima* (inquit) *conclusio, Pontifex in rebus Ecclesiasticis erat exemptus à potestate Regis, & quidem triplici titulo: primò, quia Rex non poterat illi quicquam imperare in eo genere. 2 Non poterat illum ad suum tribunal trahere in controuersijs Ecclesiasticis: 3 Non poterat eum punire si deliquisset.* Mira confidentia negantium meridie lucere: *Rex Iudæorum* (inquit) *in Ecclesiasticis rebus non poterat Pontifici quicquam imperare*: & tamẽ in sacris Scripturis sæpe legimus, Reges cum laude Sacerdotibus, atque adeo summo Sacerdoti in rebus religionis *præcepisse*, edicta *edixisse*, *iussisse*, *constituisse*. 1 Chr. 15, 11, *Vocauit Dauid Tsadokum & Abiatharem Sacerdotes: ac Leuitas istos, vrielem &c. Et edixit eis, sanctificate*

ficate vos ipsos, vt deportetis arcam. 2. Sam. 15. 25, *Edixit Rex Tsadoko reduc arcam dei in Ciuitatem.* 1. Chro. 23, 5, *Distribuit eos* Dauid *distributionibus secundum filios Leui.* & c. 24, 5, Filiorum *Aaronis* distributiones, supple *secundum rationem Dauidis:* vt exponitur statim v. 3. de duobus præcipuis Tsadoko & Ahimeleco: item 2. Chr: 8. 26, *constituit* Salomo *secundum rationem* Dauidis *viri Dei.* Vnde & additur, *Neque recesserunt à præcepto Regis imposito sacerdotibus & Leuitis, in omni officio & thesauris administrandis.* 2. Chr. 29, 4, *Iussit* Ezekia *conuenire Sacerdotes & Leuitas:* quos & v. 11, dum eos ad officia sacerdotalia hortatur, vocat *filios suos.* Nec respuerunt auctoritatem sacerdotes: qui (vt legimus versu 15°) venerunt *secundum præceptum Regis.* Nec si *Dauid* (vt patet. 2. Chr: 29, 25.) à Prophetis admonitus constitutiones illas de sacerdotum & Leuitarum distributionibus edidit, ideò negemus (quin potius hinc pro certissimo concludamus) ad regium munus ista pertinuisse: quia prophetæ his de rebus non ad summum sacerdotem, sed ad regem missi: & quia redingratio & restitutio harum constitutionum, vel solis Regibus, vt *Salomoni*, & *Iosiæ* tribuuntur: vel Regi imprimis, & deinde summo sacerdoti: vt ex historia *Ezekiæ.* 2. Chr: 31. v. 14 colligi non absurdè poterit. Præcipuas enim partes (etiam vbi curæ particeps nominatur sūmus sacerdos) *Ezekiæ* Regis fuisse, & rectè cū sese his rebus immiscuisse, docet conclusio capitis illius 31, 2i Chron: *Fecit talia* Ezekia *in toto* Iehuda: *fecitq; quod bonum est, & rectum, & veritas coram Domino Deo suo.* Vbi quid quæso illud *rectum veritatis*, id est stabilitatis *coram Deo:* nisi ipsum perpetuum officium

officium regium? saltem ex eo quod Rex laudatur de ijs omnibus quæ fecit & præcepit circa ministerium domus dei, quorum multa ipsi summo Sacerdoti ab eo præcepta esse constat, etiam Regem *in hoc genere* summo sacerdoti multa *imperare* potuisse constat. Similiter & de *Ioaso* nondum lapso legimus. 2. Reg. 12. 7, & 2. Chr: 24. 8. eum de restauratione templi mandata *Iehoiadæ* summo sacerdoti dedisse. Ne *Iosiam* quidem summo sacerdoti *Helkiæ* quicquam in re religionis imperare potuisse concesserit Iesuita: qui tamen. 2. Reg. 22. Saphanem scribam suum mittit, cum mandatis ad hunc ipsum *Helkiam*, de collecta pro restauratione templi: moxque eidem præcipit vt prophetissam àdeat in causa religionis: Et capite 23. v. 4. eidem & sacerdotibus alijs *præcipit vt efferrent è templo instrumenta* Bahali *consecrata*. Imò (vt legimus 2. Chr. 35. 16.) *constitutus totus cultus Dei die illo, celebrando Pascha, & offerendo igne absumenda in altari Dei secundum præceptum* Iosiæ *Regis*: nec facile *secundum præceptum Regis constitui totus cultus* potuit, vt nihil summo sacerdoti præceperit. Nam si ipse Rex à summo sacerdote hæc omnia in mandatis accepit, cur solus Rex nominatur? cur vt auctor restaurati cultus diuini laudatur Rex, præterito eo, quem auctorem ipse habuerit (:& cuius imperia executus fuerit? Nec negare (credo) quisquam poterit, quin si *imperandi* summo sacerdoti in rebus religionis ius fuerit penes Regem, & iudicandi itidem fuerit, & puniendi. Et quidem obnoxium fuisse pœnæ capitali in aliquibus huius generis delictis indicant verba *Agrippæ Regis* in Epistola, cui aduersarius. p. 48. & 83, plurimum fidei tribuit, prout recita-

recitatur apud Philonem, libro de Legatione ad Caium. *De cetero* (inquit) *si quis, non dico plebeius Iudaeus, sed sacerdos, vel à summo proximus, imò is ipse Pontifex, si duobus anni diebus, aut eodem die, ter quaterue introierit intimum sanctuarium, capite luet absq; venia.* Nec alium credo vllum præter supremum magistratum Politicum inueniet aduersarius, qui hoc casu sententiam de summo sacerdote tulisset. Quin & *Ieremiæ 26.* versu 10. et sequentibus, de sacerdotũ & prophetarum, qui in re religionis *Ieremiam*, populo suffragante, condemnauerant, iudicio iudicant principes palatij: atque adeo sententiam jam latam, auctore *Ahikamo* reuocant. Nec dubium, quin & illis, quibus restitum est, auctoritas summi sacerdotis, & his qui restitere (qui v. 10. è domo Regis assceendisse dicuntur) adfuerit auctoritas Regia. Legatur & caput 13 *Nehemiæ*: vbi, qui solam habet potestatem Politici magistratus, in *Eliashibum* sacerdotem summum non solum imperatiuam, sed etiam coercitiuam auctoritatem exercet.

Hæc aduersarius tam clara, vel non cogitans, vel suo more dissimulans, quasi ex ante demonstrato, sumit, Summum sacerdotem fuisse supremum Iudicem in causis Ecclesiasticis: vnde & infert, eundem in his causis ita, vt recitaui, exemptum fuisse à potestate Regis. Similiter & *conclusionem secundam*, exemptum itidem fuisse in causis Politicis, ex simili propositione, quòd *Pontifex etiam, in temporalibus supremus iudex esset*, educit p. 66. & hanc quoque, vt ante demonstratam, sumit. Sed neque hanc neque illam omnino ab eo demonstratam, esse docui. Imò verò, vbi credi vult vtramque à se demonstratam, ibi neutram

neutram ne conatus quidem fuerat demonstrare. Aliud enim istud, Pontificem simpliciter, *supremum iudicem fuisse, non solum in causis Ecclesiastic is, sed etiam in temporalibus*: aliud, quod solum supra contenderat, in *Legalibus controuersys* (quarum scilicet decisio ab interpretatione Legis pendebat) *Pontificem supremum iudicem fuisse, sive illæ Ecclesiasticæ essent, sive Politicæ.*

Sed ad primæ conclusionis confirmationem tam tenuem, addit aliam subsidiariam. *Omnes* (inquit) *Leuitæ in rebus Ecclesiasticis erant exempti à potestate Regis: vnde sequitur multo magis Pontificem fuisse exemptum.* Antecedens sic probat. p. 64

Si Deus voluisset accipere Primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quàm ex iumentis, quæ speciali iure illi debebantur, certè filij Israel nullam amplius habuissent potestatem in eadem primogenita.

At Deus eodem iure speciali, quo poterat accipere primogenita, accepit Leuitas loco primogenitorum.

Ergo, postquam Leuitæ semel Deo traditi & consecrati erant, non amplius erant sub potestate aliorum, sed solius Dei.

Maior ambigua: Nomine, enim filiorũ Israel, qui nullã in primogenita potestatẽ habuissent, intelligi possũt, vel tantũ ipsi parentes & possessors, & sic consequentia nulla est: vel etiam magistratus Politici, & sic Mator falsa est. Pater enim filium Deo quocunque modo consecrans, non eximit eum Politicæ, sed tantum œconomicæ subiectioni. Sed nec conclusionem aliter intelligi vult, quàm vt nihilominus Leuitæ

uitæ ſub poteſtate eſſent *aliorum, quàm ſolius Dei*: nempe ſub *Aarone* & principibus Leuiticis. Itaque concluſionem infert ſuæ ipſius ſententiæ contrariam: vbi, ſi dixiſſet, quod certè intelligi vult, *Non amplius fuiſſe ſub poteſtate aliorum, quàm ſolius Dei, & eorum quibus eos Deus ſubiecerat*, totum non inuiti admitteremus. Leuitas enim à Deo magiſtratui Politico ſubiectos eſſe contendimus: Nec eſt, quod ita in eo hæreat aduerſarius, quòd dicantur Leuitæ à Deo *donati Aaroni* Num. 8. 18: aut quòd Num. 18. 1. dicitur eos *excubare debere ad præcepta Aaronis*. Friuolum planè quod ex his locis colligit, eos *non debuiſſe Regi obtemperare*. vt enim pater filium *dono dat* ei, qui eum adoptandum emancipat, planèque filium ſuum vult *ad eius præcepta excubare*: nec tamen ideo eundem magiſtratui politico ſubijci non vult: ita intelligendum Leuitas *Aaroni* donatos, & eius præceptis addictos, vt nihilominus Politico magiſtratui ſubiecti permanſerint.

Pro ſecunda etiam concluſione non nihil addit aduerſarius, dum obiectioni occurrit. Sed quàm frigidè? *Si* (inquit) *Salomon auctoritate regia Abiatharem puniuit, non legitimè fecit*. Sciebat hoc à nobis negari, & in hoc ipſo non contemmendum cardinem controuerſiæ verſari. Itaque non tam ei probandum fuerat quod concedimus, quodque vnum probat diligenter, *Quædam à Regibus non legitimè fieri*: Sed & ad ea reſpondendum, ex quibus colligimus, Salomonem hoc auctoritate regia feciſſe, & rectè feciſſe: id eſt non exceſſiſſe limites poteſtatis ſuæ. Primum enim, cum ait, *vir mortis es, ſed hoc die non afficiam te morte*: perinde eſt, ac ſi dixiſſet, iure quidem poſſem

te

te ob hanc coniurationem morte afficere, sed vitam tibi hoc tempore condonabo. Ex quibus verbis apparet, non ex speciali præscripto diuino (quod huiusmodi dispensationem, aut condonationem nullam admisisset) sed ex libertate potestatis regiæ egisse *Salomonem*, Deinde nec fas nobis putare, eum in hac abdicatione Abiatharis excessisse limites potestatis suæ, aut ignorasse quousque ius regium se extenderet: cùm & ipse vir sapiens iam tum fuerit, vt à *Dauide* vocatur hoc ipso capite: & consiliarios sapientissimos *Nathanem* Prophetam, & Tsadokum ad latus habuerit: & nihil in hac re egerit, nisi quod tota Ecclesiæ Israeliticæ congregatio comprobauit: cum, vt legitur. 1. Chro. 29. 22, *vnxerunt Tsadokum in sacerdotem.*

Quod de exemptione ab oneribus, & tributis prolixè habet aduersarius p. 67, & sequentibus, primum otiosum est: non enim sequitur argumentum ab huius modi immunitatibus maioribus, ad potestatis aut dignitatis excellentiam. Deinde non rectè colligit, Pontificem regi quoad tributa ideo præcelluisse, quia huic ille nihil pendebat, non autem contra. ad istam enim præcellentiam satis, quòd Regi à ceteris longè aliter quàm Pontifici, & longè alio titulo pendebatur. Siquidem Pontifex quæ percepit, siue à Rege, siue ab alijs, ea nomine mercedis aut præmij percepit: vt docent verba, *dignus est operarius mercede sua*: & in hoc certè genere *melius est dare, quàm accipere* at quæ Rex percepit, de suo percepit: & vel tutelæ, vel dominij nomine: quo in genere accipientis maior est præcellentia, quàm reddentis. Sed nec putandum prorsus immu-

nia

nia fuisse bona Leuitarum, aut summi sacerdotis. Legimus enim etiam thesauros, & vasa templi, & donaria, à pijs Regibus, *Asa & Ezekia*, vrgente necessitate, reipublicæ vsibus accommodata.

Pag. 74 *Tertia* (inquit) *conclusio, Rex neq; in causis Ecclesiasticis, neq; in temporalibus erat plane exemptus à potestate Pontificis.* Ibidem, quod negat exemptum in Ecclesiasticis, exponit, vt *Pontifex ei in hoc genere imperare potuerit, & etiam punire si deliquisset*, probat hoc exemplo vnico *Huzziæ*, vbi pro confesso sumit, quod negamus, & sine quo nihil ad rem sequitur: *Huzziam* à summo sacerdote punitum fuisse amissione regni. Sed nec *imperio* hîc aliquo suo in Regem vsus est summus sacerdos, vt fingit Iesuita: sed tantum increpatione libera. Notandum autem in hac historia, quod & ex terræ motu de quo aduersarius pag. 55, & ex. 2. Chr: 26. 19 colligitur, Deum præsentiam suam in altari testatum, & ex eo Lepram in Regem quasi eiaculatum fuisse. Itaque quod dicitur, *deturbauerunt eum inde* (si ita cum aliquibus legendum est) non aliter capiendum, quàm, vt veriti fuerint, ne etiam grauius aliquid Regi in sanctuario manenti a Deo contingeret: ideoque non minus sibi licere putarint, Regem inde, vel inuitum (quanquam et ipse properauit) per vim extrudere: quàm quomodo cuiuis plebeio licet Regem in ferrum, aut in flammam ruiturum, vel inuitum & per vim retinere.

Quanta autem impudentia, quòd posteriorem huius conclusionis partem, rem momenti maximi, qua asserit, *Regem in temporalibus non fuisse omnino exemptum à potestate Pontificis*, non aliter muniat, quàm repetitis

petitis futilibus illis,& iam ante explosis confirmationibus ? quarum vnam,de sacerdote supremo iudice in temporalibus, falsã esse,reliquas autem duas, de eo quod Rex Deum per Pontificem consulere, & decimas,aliaque Pontifici soluere debuerit, nihil concludere,iam supra indicaui.

¶ 6. Postrema quæstio de titulo auctoritatis. Primum ita disputat,pro vt ipse vim argumenti colligit. pag. 81.

In ijs quibus Deus Pontifici auctoritatem conciliabat, Rex erat inferior Pontifice. Nam neq; consecratio ipsius erat tam solennis, nec vngebatur oleo sanctæ vnctionis, nec in ornatu erat par Pontifici,nec immediatè consulebat Deum in rebus dubijs,nec auctoritas ipsius tot miraculis erat à Deo confirmata.

Ergo Deus maiorem esse voluit auctoritatem Pontificis apud populum,quàm Regis.

Primum hîc de vocabulo auctoritatis quæritur, auctoritatem intelligat coactiuam, an suasiuam:si illam intelligit, negatur antecedens, nec sequitur ex confirmatione, quam addit: si hanc intelligit, conclusio nihil facit ad propositum. Deinde etiam ad Antecedentis confirmationem responderi potest, complures partes inductionis, imò omnes, excepta penultima, falsas esse,id quod de ceteris quidem iam ante demonstrauimus. Sed & *Mosis*, id est secularis principis,Deus longè pluribus miraculis, quàm *Aaronis* auctoritatem confirmauit. Nec post *Aaronem* vllius (credo) summi sacerdotis auctoritatem miraculis confirmauit, at principum secularium certè complurium : exempli gratia Iosuæ, Gedeonis, Sampsonis,

Sampsonis, Saulis, Dauidis, Salomonis.

Quàm ineptum autem, & contra omnem sacræ historiæ fidem, quod, quasi in vlteriorem confirmationem, addit argumentum ab effectis: *Hinc* (inquit pag. 81) *factum est, vt populus plus honoris ac reuerentiæ tribueret Pontifici, quàm Regi. Imò, si inter Pontificem ac Regem lis aliqua vel disceptatio intercederet, Pontifici potius adhærebant quàm Regi.* Abiathari scilicet potiùs quàm *Salomoni*, cum depositus *Abiathar: Zachariæ* filio *Iehoiadæ*, potiùs quàm *Ioasso*, cum lapidibus (etsi iniustè) obrutus *Zacharias. Eliasibo* deniq; potius quàm *Nehemiæ*, cum resciſſa illius acta & affinitas cum *Sanballato* & Tobia. At *Sauli* (inquit) *hoc accidit* circa *Achimelechum*: imò verò quod Satellites, Rege tam dirum scelus iubente, à scelere exequendo abhorruerunt, non docet eos Pontifici potiùs adhæsisse quàm Regi, aut plus honoris tribuisse Pontifici quàm Regi: nedum (quod nugator iste hoc vno exemplo euinci putat) hinc sequitur populum hoc pacto, vel plerumque, vel semper affectum fuisse, quin quod passi sint tot sacerdotes innoxios, cum ipso summo Pontifice, cumque vxoribus & liberis, nullu Regis dæmoniaci interfici, signum est, eos potius adhæsisse Regi, quàm Pontifici. Et quis erit modus ineptiarum? postquam dixerat populum plus honoris Pontifici quàm Regi tribuisse: & in controuersijs Pontificis cum Rege, illi potiùs, quàm huic adhæsisse, addit, *Plus dicam: ipsi Reges vltro deferebant Pontifici:* quasi verò hoc *plus* esset, quàm illud: aut quod magis ad rem eius faceret, quodque à nobis minus libenter concederetur.

De testimonijs *Iosephi* & *Philonis*, quibus pag. 83, concludit

concludit hunc locum, iam supra dixi. Quod adijcit ex *Augustini* l. 17 de Ciuit. Dei c. 31, *tribum Leui Dei non Regum seruitio mancipatam*: significat Leuitas magis immunes, non autem minùs subiectos Regibus fuisse, quàm ceteros. Addit enim ibidem *Augustinus*, *verumtamen etiam tribus Leui ad regnum Hierosolymitanum pertinebat magis.*

Iam quoniam *Becano*, post recitata verba *Philonis* & *Iosephi* de quibus respondimus, visum ad illa exclamare suum illud *quid clarius?* ad illa autem *præclarum testimonium*: adijciamus tandem & nos aliquid ad priora satis (vt putamus) clara, cui multo rectiùs acclametur *præclarum testimonium*, & *quid clarius?* verba sunt in *Talmud Massecah ha Sanedrin Perek* 2. Quod incipit *Cohen Gadol*: ibi sic dicitur de Pontifice. Iudicat & iudicatur: & testimonium perhibet, & testimonium aduersus illum admittitur. De Rege autem sic, non iudicat, neque iudicatur: non dicit testimonium, neque contra eum dicitur: vidè locum plenius recitatum apud doctissimum Casaubonum in *Baronium* exercit 13. num. 5. Ita quòd Syllogismum suum iterum repetat hoc modo,

Aduersarij vbiq; inculcant Regem Angliæ nec plus, nec minus potestatis ac iurisdictionis sibi vendicare, in suo regno, quàm olim pij Reges in veteri testamento sibi vendicabant:

At illi multis titulis fuerunt infra dignitatem Pontificiam: vt hactenus ostensum est ex sacris scripturis, Philone, & Iosepho, & Augustino.

Ergo etiam Rex Angliæ, si verum est fundamentum Anglorum, multis titulis est infra dignitatem Pontificiam.

Respondeo primum in forma syllogistica grauissimè peccari: cum lata differentia sit inter *vendicare* & *esse*: quæ duo, vt consequentia aliqua sit, oportet hîc pro ijsdem sumi. Deinde & in Maiore (vt supra exposui) falsationem esse sententiæ nostræ, & postremò in minore errorem grauissimum contineri: cui, vt ostendi, nequaquam fauent, quæ profert testimonia scripturarum, *Iosephi*, *Philonis*, & *Augustini*.

CAP. 4.

Ad ea quæ habet Aduersarius de iuramento Primatûs Regij in rebus Ecclesiasticis.

HIc quoque ante omnia in statu controuersiæ constituendo, inque præcipuo totius disputationis fundamento, turpissimè nugatur. *P.* 22 in Prolegomenis, ait *hoc loco quæri:* 1, *Quid Catholici* (Papistas autem hoc nomine intelligit) 2 *quid Puritani*, 3 *quid Henriciani de Primatu Regis sentiant.* Nihil horum hîc quæritur, frustra has quæstiones mouet: & ridiculè totum in ijs tractatum insumit. Non enim quæritur, quid hi, aut illi sentiant: sed quid omnes sentire debeant.

Pendet (inquit pag. 87) *hæc quæstio de iuramento Primatus Regij, ex alio puncto: nempe ex eo, quid singuli sentiant de isto Primatu. Nemo enim potest iurare contra suam mentem ac sententiam. Primò ergò quæritur, quid Catholici sentiant de Primatu: secundò, quid Puritani, tertiò quid Henriciani.* Sophisticam nugationem in exemplo proponam. Tempore *Marciani* Imperatoris

ratoris tria erant Christianorum subditorum genera, Orthodoxi, Nestoriani, Eutychetiani: faciamus propositum ab Imperatore iuramentum omnibus fuisse, quo vnicam Christi personam in duabus naturis profiterentur. Certè nemo contra suam mentem ac sententiam iurare deberet: nec tamen ideo res confecta esset de Nestorianis, deque Eutychetianis, eos non debuisse iurare, si modo constaret eam esse horum sententiam, quæ huic doctrinæ contraria sit: imò nec omnino hîc quæri opus, quid hi, aut illi sentiant, sed quid sentire debeant. Quod enim tali iuramento, talibus proposito diceremus, vtrumque genus iurare debere, de subiecto, non de accidente intelligendum: vt nihil aliud velimus, nisi eos primum debere sententiam mutare, ac deinde iurare: Itaque quod in eodem luto semper hærens p. 108 de Papistis concludit, cum nemo possit bona conscientia id confirmare iuramento, quod iudicat apertè falsum, Papistæ autem sic iudicent de Primatu Regio in Ecclesia, ideo eos bona conscientia hunc Primatum iuramento confirmare non posse, hoc tantum efficit, quod planè nihil est ad propositum, Papistas, dum quidem Papisticas illas opiniones retinent, non debere hunc Primatum Regium iuramento confirmare: sed num ideo sequitur, omnino eos non debere hoc iuramentum suscipere? Certè non magis, quàm hæreticos ideo non omnino debere fidem Orthodoxorum profiteri, quia quàm diu hæretici sunt, & qua hæretici sunt, non possũt bona conscientia hoc facere. Si caput fallaciæ quæris; in eo positum est, quòd de Papistis simpliciter verum id esse velit, quod verum de ijs est tantummodo quà

Papiſtæ ſunt. Similiter & de eo dicendū, quod colligit de Puritanis, deque Henricianis quos dicit: quanquam de vtriſque etiam ex falſis principijs diſputat, vt ſtatim monebitur.

¶ 2. Ne ad rem quidem (id eſt ad quæſtionem vtrum licitum ſit iuramentum Regij in Eccleſia Primatûs) dicere aliquid poteſt, niſi à re (id eſt ab eo, quod ſibi proponit) aberret: Siquidem, quod quæſtione prima p. 89 & ſequentibus vnum contendit, *Regem nullo iure habere Primatum ſpiritualem*, ad controuerſiam quidem vtrum iuramentum illud licitum ſit, directè pertinet: Sed ad id quod vnum hoc loco quærendum proponit, quid Catholici ſui (id eſt quid Papiſtæ) ſentiant de regio Primatu, planè nihil pertinet. Sic enim quæſtionem *quid Catholici ſentiant*, (vt patet ex ſcopo totius loci) exponi neceſſe eſt. Ita quaſi fataliter ſemper aberrat, vt etiam, vbi non aberrat, aberrare dicendus ſit. Non enim alio argumento docet, quid hîc ſentiat tertium illud genus ſubditorum Regis noſtri, qui nobis Papiſtæ, huic Catholici vocantur, niſi oſtendendo (vt poteſt) quid omnes Chriſtiani ſentire debeant. *Catholici* (inquit p. 88 id eſt Papiſtæ) *ſic ſentiunt: Regē Angliæ habere quidem Primatum temporalem ſeu Politicum, non tamen Eccleſiaſticum, aut ſpiritualem. Quod varijs modis probari ſolet: ego breuiter ſic probo. Si Rex* &c. Quid eſt, quod his verbis ait ſe *breuiter probare?* certè idem quod ait *varijs modis probari ſolere*: id eſt, id ipſum quod dixerat *Catholici* (id eſt Papiſtæ) *ſic ſentiunt &c.* At nos certè non negamus Papiſtas, id eſt eos, qui huic Catholici ſunt, ſic ſentire. Sed audiamus quo modo probet id, quod nemo negat, nempe Papiſtas ſic ſentire.

Si

Si Rex (inquit p. 89) *quà Rex est, haberet Primatum spiritualem, vel haberet iure naturali, vel iure diuino veteris testamenti, vel iure diuino noui testamenti, vel iure ciuili, vel iure canonico, vel titulo præscriptionis, vel consensu doctorum hominum.*

At nullo horum modorum habet.

Conclusionem, quam proposuerat, ergo *Papistæ sentiũt Regem non habere Primatum spiritualem*, puduit addere: quid enim hæ propositiones ad illam? At hinc tamen concluditur *Regem nullo modo habere Primatum spiritualem*. Fatemur hinc quidem hoc concludi, si præmissæ veræ sint: sed primum à nobis ne hoc quidem negatur, si saniter intelligatur. Sæpius enim monui, & (vt notaui in Appendice Responsionis contra Eudæmonioannem) consentienter cum *Bellarmino*, distinguendam supremam potestatem spiritualem, & supremam in spiritualibus. Vnde & testamur, si propriè & didactice loqui volumus, hanc non illam Regi à nobis tribui. Sic enim (vt in appendice illa dixi) & *Bellarminus* contra *Barclaium* distinguit potestatem temporalem, & potestatem in temporalibus: dum Papæ, quatenus Papa est, hanc, non illam tribuit. Sed Sophistis præcipuum robur ipsique triarij in ambiguitatibus: ita in ambiguo ludendum sibi sensit necessariò: vt simul intra limites primatus spiritualis non solum ea compingat, quæ Regi tribuimus: sed etiam quæ non tribuimus: nempe potestatem excommunicandi: sicque ex eo, quod constet, aliquam quidem potestatem spiritualem Regi non competere, facilius concludat indefinitè de potestate seu Primatu spiri-

tuali minimè ad eum pertinente. Nam & p. 88, vbi Primatum ſuum ſpiritualem definit, loco ſeptimo in Primatus huius officijs ponit, *delinquentes excommunicare*. Quo loco cum ſupponat talem Primatum Regi non ſolum negari à ſuis, ſed etiam à noſtris tribui, vnde & in ſequentibus quaſi contra noſtram ſententiam contendit, talem Primatum Regi nullo iure competere: certè non ſolum falſat ſententiam noſtram: ſed & ſibi ipſi contradicit: qui p. 103 non modò agnoſcit, ſed etiam pluribus vrget longè aliam eſſe noſtram ſententiam.

Nec leuiter ſibi in eo contradicit, quod cum & ſtatim pag. 92 dicat, & c. 4 quæſtione 9ª pro *Bellarmino* per quindecim paginas contendat, *regnum Angliæ eſſe feudum Pontificis*: tamen hoc eodem loco, vt modò recitaui, fateatur, *Regem Angliæ, quatenus Rex eſt, habere Primatum temporalem ſeu Politicum in regno Angliæ*. Primatum enim hunc pagina præcedente aſt, *conſiſtere in ſuprema poteſtate & iuriſdictione, qua gubernatur reſp. ciuilis*. Qualis certè poteſtas ea, qui feudatarius ſit Pontificis, nullo modo conuenire poteſt. Somnolentus nugator diſputationem illam, de regno Angliæ feudo Pontificis, poſteriore hac editione addiderat. Priore editione huic vſque progredi non auſus, Regem noſtrum (vt initio dixi) ſaltem in temporalibus *ſupremum* agnouerat. Tandem à Romanis cenſoribus admonitus, diſputationem illam de feudo addidit: & vocem *ſupremi* (vt dixi) quoties occurrebat, vt huic diſputationi contrariam, expunxit: ſed hunc tamen locum paginæ 88, qui non minus totam illam diſputationem euertit, vt qui non minus euidenter agnoſcat Regem Angliæ in tem-

temporalibus ſupremum eſſe, homo infelix præterijt. Nec ſolum illam de feudo diſputationem ex hac eius confeſſione euerti dicimus: ſed & theſim præcipuam de Papa regum depoſitore. Quomodo enim Papa iudicialiter exuet Regem ſuis temporalibus, ſi Rex in temporalibus illis ipſo Papa ſuperior ſit? Vidit hoc *Bellarminus* contra *Barclaium*. Itaque etſi nullam agnoſcat papæ poteſtatem temporalem, quatenus Papa eſt: tamen in temporalibus Papam quatenus Papa eſt quouis Rege ſuperiorem eſſe facit. Sed *Becanus* iſte quaſi veſpertinus ſcarabeus odioſo ſtrepitu moleſtus, etiam ſuorum quemuis cæcus incurſat. Atque his quidem ita quaſi in præfatione præmiſſis, videamus nunc quomodo contra nos probet, ſyllogiſmi, quem propoſui, Minorem: qua aſſerit *Regem Angliæ nullo modo habere Primatum ſpiritualem*: id eſt, vt expoſui ex noſtra ſententia, nullo modo habere Suprematum in ſpiritualibus: Alioqui enim ſi has locutiones diſtinguamus, non dicimus Regem habere Primatũ ſpirituale, ſed Primatum ſeu ſuprematum in ſpiritualibus.

Primum de iure naturæ, ſic diſputat. p. 89. *Iſti* (inquit) *duo Primatus, ſpiritualis & temporalis, ex natura rei diſtincti ſunt: cum habeant diſtincta officia, & tribunalia: vt explicatum eſt: Et alter ab altero ſeparari poteſt aduerſariorum ſententia: quia ſecundum illos in Chriſto fuit Primatus ſpiritualis ſine temporali: & è contrario in Tiberio Imperatore fuit temporalis ſine ſpirituali. Ergo iure naturali, ſiue ex natura rei, alter: alteri connexus non eſt. Ergo Rex, qui habet Primatum temporalem, non ideo iure naturali habet ſpiritualem. Sicut Chriſtus (vt illi volunt) qui habuit ſpiritualem, non*

ideo iure naturali habuit temporalem: nihil certius. Sic *Becanus*: vbi vt breuiter & directè respondeatur, sic opinor in formam dialecticam ista sine omni sententiæ iniuria reduci poterunt.

Nisi Primatus temporalis & spiritualis iure naturali connexi sint, non potest verè dici, Regem Iacobum *ideo iure naturali habere Primatum spiritualem, quia habet temporalem.*

At hi duo Primatus non sunt iure naturali connexi, alter alteri (distincti enim sunt, vt qui habeant distincta officia & tribunalia: & præterea nonnunquam inuenti sunt separati alter ab altero: vt in, Tiberio temporalis sine spirituali: & in Christo, iuxta doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ, prout (homo mortalis erat) spiritualis sine temporali.

Ergo non potest verè dici Regem Iacobum *ideo iure naturali habere primatum spiritualem, quia habet temporalem.*

Primatum spiritualem intelligit (vt dixi) ipsissimũ suprematum in spiritualibus: nec dubium, quin, quòd in Minore duos Primatus iure naturali connexos esse negat, intelligat non esse ex iure naturali semper, id est, in quouis Rege connexos: quemadmodum & in maiore vbi ait, non posse verum esse quod dicimus, nisi iure naturali connexi sint, intelligit requiri vt semper & simpliciter connexi sint. Itaque hoc sensu maiorem negamus. Ad hoc enim, vt rex Christianus (qualis noster *Iacobus*) ideo iure naturali habeat in suo regno suprematum in spiritualibus, quia habet in temporalibus, non requiritur, vt iure naturali semper aut simpliciter connexi sint hi duo

duo primatus: sed tantum vt in Rege Christiano hoc iure connexi sint. Nec, quæ addit pro confirmatione minoris, docent ius naturale non coniunxisse hos primatus in Rege Christiano: sed tantum non semper aut simpliciter, id est non in quouis rege coniunxisse: Deinde & in hac ipsa Minoris confirmatione peccat, primum inconsequente (non enim sequitur, quia distincti sunt, ideo iure naturali connexos non esse) tum & nugatione in ambiguo. Quærimus enim de eo Primatu spirituali qui consistat in potestate coactiua: qui ab eo plurimum differt, quem ait secundum sententiam nostram in Christo prout olim mortalis erat, fuisse sine primatu temporali. hunc (vt sæpe iam moneo) docendi causa Primatum spiritualem, illum suprematum in spiritualibus vocamus.

Pergit Becanus eadem pag. *Nec iure* (inquit) *diuino veteris testamenti. Nam in veteri testamento non Rex, sed Pontifex præsidebat: iuxta illud 2 Paral. 19. 11. Azarias Pontifex &c. Huc spectant* (inquit) *multa quæ dicta sunt capite præcedente.* Et nos capite præcedente ad singula respondimus.

Pag. 90. *Nec iure diuino* (inquit) *noui testamenti. Nam Christus non dixit Tiberio, aut Herodi, Pasce oues meas, sed Petro.* Id vult: cui dixit Christus Pasce oues meas, ei competere, non solum primatum spiritualem proprie dictum, sed etiam supremam in spiritualibus potestatem coactiuam, non damus. quia & à Christo discimus reddenda esse Cæsari, quæ Cæsaris ante ipsius aduentum erant: ideoque ius regum Christianorum non esse deterius sub Euangelio, quàm olim in populo Iudaico. *Nec Regibus* (inquit) *sed Episcopis dictum est Act. 20. 28, Spiritus Sanctus posuit*

posuit vos episcopos regere ecclesiam Dei. Respondeo, quod dicitur, *posuit vos episcopos regere ecclesiam*, idem est, ac si dictum fuisset, dedit vobis episcopale regimen ecclesiæ: at his verbis apertè significatur, aliud desiderandum esse regimen Ecclesiæ, præter Episcopale. *Nec Reges* (inquit) *sed Apostoli indixerunt concilium Hierosolymitanum, & legem ecclesiasticam de sanguine & suffocato condiderunt.* Sic disputat: Acta hæc legitimè sunt eo tempore sine auctoritate Regia, puta cùm nullus esset Rex Christianus, cuius auctoritate vti possent, ergo etiamnum, vtcunque Reges Christianos habeamus, sine regia auctoritate similia agi poterunt. Respondeo non tenet exemplum in tam diuersa temporis ratione.

Eadem pag: *Nec iure* (inquit) *Canonico: quia apud Gratianum dist: 96. can: 11, & in Decretalibus de Maioritate can: 6. &c.* Non repeto, quæ ad ista iam ante biennium huic nugatori respondimus, cum Refutationem, quam vocat, Torturæ Torti examinaremus: docui hæc ipsa loca, vtcunque auctoritatis perexiguæ sint, sine incommodo à nobis admitti posse. Sed & præ istis posteriorum Pontificum decretis, ius aliud canonicum vrgemus: & illud multò magis authenticum: nempe canonem decimum sextum Chalcedonensem, qui & in Trullano 39° repetitur, ex qua constitutione Balsamon, canonista minimè contemnendus, in annotatione in hunc canonem, supremam quandam Imperatori potestatem in rebus ecclesiæ apertè tribuit. qui & in Responsis quæ extant in auctoribus iuris Græco-Romani, Imperatori curam vtramque tam religionis quàm Reip. assignat. Et quid magis in synodis confessum, quam & conuocandi

candi ius, & confirmandi, & præsides constituendi (quę tria certè in primatu præcipua) penes Imperatorem fuisse? Res à nostris demonstrata, & quæ excipi poterant, excepit nuper Eudæmonioannes: cui & nuperrimè ex vtraque nostra Academia responsum.

P. 91. *Nec iure* (inquit) *ciuili: quia Authentica 23 sic habet, Si ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento ciuiles magistratus, cum ea disceptatione &c.* Nos verò ex hac ipsa Authentica pro nobis argumentum petimus. Qua enim auctoritate ad Episcopos remittuntur huiusmodi causæ? certè Imperatoria: Imperator ergo de suo hoc ius Episcopis concessit: nec sibi, sed inferioribus magistratibus ciuilibus hanc legem posuit: testes, notissimæ constitutiones eius & Acta quàm plurima: de quibus apud Baronium, vir summus asperrimè & indignissimè reprehenditur. Vide ad hunc locum ex iure ciuili diligenter collecta in Salcolbrigiensi Becano-baculo: tum & ad totam istam disputationem de iuribus, quam Becanus ex sua (quam vocat) Refutatione Monitoriæ præfationis & Apologiæ Regiæ transcripsit, vide responsionem Decani nostri Lichefildensis: sed apud ipsum vide in suo, non in Becani mendacissimi recitatoris *Duello.*

Quod vrget eadem pag. 91 *de præscriptione, quia regnum Angliæ iam diu factum est* (vt ait) *feudum Pontificis*, falsum esse docebitur, vbi ventum erit ad nonam quæstionem capitis quarti. Nec in vno, credo, facto intecto vnius Regis degeneris (etsi antiquo) sed in continuatione præscriptio: quanquam & nuperum hoc factum, si ad illa comparetur, de quibus Socrates

in

in proœmio libri quinti: *Imperatorum* (inquit) *mentionem fecimus quod ex illo tempore quo Christiani esse cœperunt* τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν: Eodem pertinet, & quod agnoscit Alciatus homo Pontificius, in cod. de sacrosanctis ecclesijs, *Nemini* (inquit) *dubium est, quin in Primitiua Ecclesia, de rebus & personis ecclesiasticis, iura dixerint Imperatores.* Nec aliter se res habuit tempore Caroli Magni: quod & ex historia & legibus eius satis constat: nec aliter ferè in Anglia multis retrò seculis: quod & in diuinâ suâ Monitoria docet Rex sereniſſimus. Nec in hac omni praxi deesse potuit *doctorum hominum consensus*: de quo postremo loco ita gloriatur Becanus, vt neminẽ tamen nominet. Puduit nimirum responsiones nostras semper dissimulantem, toties inculcare quæ Bellarminus in Torto, quæ ipse semel contra Regem, & iterum contra Episcopum Elienſem, & (si bene memini) tertiò contra Batauum suum ingeminat. Iactantiam tamen & maledicentiam ex loco libri contra Regem, non puduit huc transcribere: vbi cùm ait secum sentire *omnes cordatos & doctos, excepto Episcopo Elienſi & quibusdam alijs adulatoribus*: certè quos adulatores vocat, eosdem (minimè sic volens, & tamen quatuor diuersis editionibus hæc verba habet) eodem spiritu *doctos & cordatos* vocat. Sic enim qui dicit omnes asinos excepto Becano sentire eadem per terga per armos sonantẽ, idem (credo) & Becanũ vocat asinum: quemadmodum & eundem canem vocaret: si quis diceret aut omnes canes, excepto Becano, contra ventum oblatrantes tandem fatigari: aut omnes canes, excepto Becano, potius diebus caniculatibus, quàm nundinis vernalibus & autumnalibus

libus, rabiem suam prodere.

¶ 3 De secunda quæstione qua quærit quid nostri (vt vocat) Puritani in Anglia de Regio in Ecclesia Primatu sentiant, nihil nunc morandum : tum quia (vt dixi) non quærendum esset quid sentiant, sed quid sentire debeant : tum etiam quia contra certissimam experientiam nostram quotidianam, nihil affert nisi Caluinum quidem improbare hunc Primatum : quod si verum esset, nihil tamen inde sequeretur de nostris Puritanis, qui in multis à Caluino dissentiunt. sed verum non est : vt docet Responsio R^di. Episcopi ad Apologiam Bellarmini p. 29 & 30 : quem locum Iesuita hîc quidem agnoscit : sed pro refutatione nihil affert, nisi nuda argumenta Bellarmini, quibus ibi à R^do. Episcopo respondetur. non facile potuit esse maior in responsore impudentia. Nec leuem ineptiam dixeris, quòd, cum initio & fine huius disputationis in Puritanos, vt in præcipuos aduersarios inuehatur: eosdẽ hoc loco (nec alibi in corpore disputationis vsquam eos nominat) cæteris protestantibus suæ defensioni æquiores esse glorietur. Tum & illud dignum hoc tanto nugatore, quod quasi ex epistolis Caluini (quarum tamen nullam nominat, nec verba vlla recitat) confidenter hoc loco asserat, id quod falsissimum esse sciunt omnes, qui aliquid in his rebus sciunt, *tempore Caluini multis in locis, præsertim Genevæ, introductum esse vsum, vt nulla pars potestatis aut iurisdictionis ecclesiastica* (id est quæ versetur circa ecclesiæ negotia) *permitteretur Magistratui seculari.* Certè enim quocunque loco religio reformata est, ibidem Magistratus secularis, iam inde ab initio reformationis, idem in rebus religionis

nis facit per omnia, quod Rex noſter in ſuo regno. De voce non laborant: at rem tenent: quam & Hiſpanus in Sicilia in plerisque cauſis notoriè, & alij etiam Reges, qui nondum Papæ renuntiarunt, magna ex parte tenent.

Nec ſatis aduerſario, vno in loco ineptire de ſententia Puritanorum, quos dicit: quin pro confuſiſſima ſua methodo, eodem iterum redit pag. 109. & pro ſuo more, eadem penè ad verbum repetit in appendice, quam huic libello appendit. Vtrobique mendacia ſuo more ingeminat: de quibus non ita pridem in appendice ad Reſponſionem pro Tortura Torti, contra Eudæmoniannem, admonui lectorem.

¶ 4. Tertiam huius capitis quæſtionem facit, qua quærit quid *Henriciani* in Anglia ſentiant de Regio Primatu in Eccleſia. *Henricianos* autem intelligit omnes eos, qui non ſolum fidem, ſed & diſciplinam Eccleſiæ Anglicanæ amplectuntur? Hi *Henricianorum* nomine nunquam hactenus innotuerunt, ab *Henrici* enim 8. opinionibus, qui in ceteris, excepto Primatu, Papiſta fuit, longiſſimè diſtant. Sed cum nomina olim beſtijs homo impoſuerit, nunc Moguntina hæc beſtia hominibus nomina ad libidinem geſtit imponere. Sed de his, (qui & optima & maxima pars ſubditorum Regis *Iacobi*,) cramben ſuam ſuo more ex alijs ſuis libellis tranſumens, & reſponſiones, quas iamdudum à nobis accepit, diſſimulans, duo dicit. *Extremum* eſſe inter nos diſſidium, de hoc primatu Regio: & ea a noſtris ſtatui, vnde argumenta contra hunc Primatum firmiſſima colligantur. De diſſidio (quod planè nullum oſtendit, niſi in eo, quod non ſemper omnes vno modo loquan-

quantur, dum receptas aliquas loquendi formas, alij retinent, alij emendant) transcribit ex dissidio suo Anglicano, cui iamdudum, à Doctore *Harrisio* responsum ad singula: & vlterius (credo) respondebitur. Etiam in Appendice illa, quam dixi, ad Responsionem contra eudæmonioannem non pauca addita, de *Becanianis* in hoc Dissidio comminiscendo calumnijs pluribus: quarū ne vna quidem fidē suā (etsi nuper defensorium *examen* emiserit) ad huc purgare potuit. De Argumētis, quæ ex libello quē vocat Refutationē Torturæ Torti non nullis immutatis transcribit, responsionem, iam ante biennium, cum libello illi responderem, ad singula oppositam, pro sua fide dissimulat. Tantum quæ postea bonæ memoriæ *Thomsonius* Cantabrigiensis ijsdem de rebus responderat; quia ob breuitatem magis obnoxia erant calumniæ, semel atque iterum vellicat. Sed quæ fusius paulò ante eum scripseram, explicationis loco esse poterunt.

Primum argumentum ambiguitate vocabuli iurisdictionis Ecclesiasticæ innititur, vt iam olim monui.

Ille (inquit p. 97) *non habet Primatum Ecclesiæ, qui nullam habet potestatem vel iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori.*

At Rex, ex doctrina Episcopi Elienſis, nullam habet potestatem vel iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori.

Ergo non habet Primatum Ecclesiæ.

In libello contra Torturam Torti vocabulum *potestatis* in hoc syllogismo non expresserat: quod ideo factum, quia locus Episcopi quem in minore propo-

propositione intuetur, tantum de iurisdictione, non autem etiam de potestate loquitur. Ideoque & hoc loco pag. 98 & 99, vbi minorem probat, tantum de *iurisdictione* loquitur, non autem etiam de *potestate*. Nec parum (vt docui) interest, iurisdictionem dicas, an potestatem. Illa enim, si propriè loquimur, speciei rationem habet, hæc generis: nec sequitur argumentum negatiuè à specie ad genus. Itaque vna hic fallacia in confirmatione Minoris quod supponat de potestate negari, quicquid de iurisdictione negatur. Alia in ambiguitate nominis Ecclesiasticæ, vt enim vera sit Minor propositio, oportet hoc nomen propriè accipi pro sacerdotali, id est, pro eiusmodi siue iurisdictione siue potestate, quæ non solum ratione obiecti Ecclesiastica dicatur, quia circa res Ecclesiasticas versatur, sed etiam formaliter talis sit, quia Ecclesiasticè, nimirum per arma ministerij Ecclesiastici, administratur. Et hoc certè sensu falsa Maior, vera Minor propositio. Atque hoc sanè erat quod *Thomsonius*, vir, dum vixit, neque doctrinæ neque acuminis nomine erubescendus, improprias locutiones, vtcunque apud nonnullos vsitatas, nihil morans, Minorem admisit, Maiorem autem negauit. Nam, si aliter nomen *Ecclesiastice* ase accipi dicet, vt omnis illa potestas siue iurisdictio Ecclesiastica dicatur, quæ circa res Ecclesiasticas versetur, tum quidem falsa minor. Nec docent verba Reuerendi Episcopi, quæ profert ex p. 41. Torturæ Torti, eum hoc sensu negare Regi vel potestatem, vel iurisdictionem Ecclesiasticam. Itaque quod duo alij Theologiæ apud nos doctores (quos profert) Doct. *Teokerus* & quem Salcolbrigiensem vocat,

hoc

hoc sensu concedunt Regi etiam iurisdictionem Ecclesiasticam, non pugnat cum sententia vel Reuer: Episcopi, vel nostri *Thomsonij* Quodque hoc loco quærit aduersarius, *quid agat cum hoc hominum genere*: respondeo, *hoc agat*: nec dissimulet responsiones nostras: nec in ambiguo pergat ludere, postquam diserte huius ineptiæ admonitus fuerit.

¶ 5. *Alterum* (inquit p. 101) *argumentum est.*

Ille non habet Primatum Ecclesiæ, qui neminem, quantumuis reum ac nocentem, potest expellere ex Ecclesia, seu excommunicare, & tamen ipse, si reus ac nocens sit, ab alijs expelli seu excommunicari potest.

At Rex Angliæ, iuxta doctrinam Episcopi Elienſis, & sociorum eius, neminem, quantumuis reum ac nocentem, potest expellere ex Ecclesia, seu excommunicare, & tamen ipse si reus ac nocens sit, ab alijs expelli seu excommunicari potest.

Ergo Rex Angliæ, iuxta huius & sociorum eius doctrinam, non habet Primatum Ecclesiæ.

Respondi primum de Maiore, falsam eam esse, & ad confirmationem, ab exemplo supremi gubernatoris Politici, varias rationes attuli, cur non esset eadem inter vtrumque suprematum proportio. In eandem etiam sententiam postea respondit *Thomsonius*. Ita inprimis hîc opus fuit, vt argumentum à simili, cuius consequentiam tam exerte negauimus, confirmaret: ne verbo quidem hoc facit: tantum rationibus, quibus consequentiam infirmam esse docui, nudam assertionem, ter sine vlla confirmatione repetitam, opponit. Imò quod magis rideamus, post propositum argumentum à simili p. 102 addit,

se hoc (id est vel sequelam argumenti à simili, vel saltem ipsam huius argumenti conclusionem) *Dupliciter confirmare: ac primò* (inquit) *quia, qui habet primatum temporalem &c.* Ita post propositum argumentum à simili, vel sequelam huius argumenti, vel saltem conclusionem confirmat, nuda ipsius argumenti repetitione. Quod addit quasi pro altera confirmatione, nos fateri eum qui habet Primatum Ecclesiasticum (id est eum qui habet Primatum Ecclesiæ) posse sancire leges Ecclesiasticas, ideoque, cum eiusdem sit potestatis legem sancire, & iuxta hanc legem eos punire, qui non seruant legem, fatendum itidem, eum qui habet hunc Primatum Ecclesiasticum, posse etiam poenis Ecclesiasticis punire eos, qui non seruant leges Ecclesiasticas: id quod & iterum quasi ex re confessa probat ex proportione suprematûs ciuilis: respondeo, Regem nostrum in Anglia ne ciuiles quidem leges ex sua solius auctoritate ferre. Itaque, *si eadem est* (vt præsumit) *vtrobique proportio*, non solum de nostra contra nos ipsos confessione, quam fingit, tacendum ei deinceps erit, sed de sua contra se ipsum videndum.

De Minore, tum quia falsa maiore dissoluitur argumentum, tum quia Protestantium nonnulli Regē, saltem minore excommunicatione excommunicari posse autumant, paulò parciùs locutus sum: vnde falsatori arrepta statim occasio deprauandæ sententiæ meæ: nec meam tamen solum hic deprauat (qua de re nuper respondi in appendice, quam supra nominaui) sed & deprauationem sententiæ Reuer: Episcopi, cuius eum iam ante biennium admonueram, & *Thomsonius* iteratò admonuerat, impudenter

sine

sine defensione repetit. Etiam dissimulata, quam protuli, ratione, cur potestas excommunicandi non sit de essentia Primatus Ecclesiæ, negatur deinceps more sophistarum, in metaphoris capitis, & pastoris ad vivum resecandis: quasi verò in vllo genere absurdum esset, si metaphora ad longinquas consequentias extendi non posset. Quanquam non capitis (vt ineptè fingit) sed medici est membrum putidum à corpore resecare. Itaque si hanc Metaphoram (vt vult) extendi patiamur, nihil tamen absurdi erit, quod non capiti terrestri, sed Medico, id est Episcopo, resecandi membri putidi potestatem faciamus: quanquam & capiti huic facimus, etsi non per excommunicationem, tamen supra excommunicationem. Nec negamus (vt fingit) supremo Ecclesiæ Gubernatori vlli potestatē contumaces arcendi ab aliorum consortio: quin concedimus hoc eum posse vel per carceris, vel per exilij poenam. Sed nihil mirum, nec si homo ignauissimus nihil incommodi circumstantis intelligit: nec si quiduis effutit, qui nihil circumspicit.

¶ 6. Pag. 104 *Tertium* (inquit) *argumentum est:*

Illi in nouo Testamento habent Primatum Ecclesiæ qui illum à Christo acceperunt.

At Apostoli & eorum successores, non autem Reges & Imperatores, acceperunt illum à Christo.

Ergo Apostoli & eorum successores, non autem Reges & Imperatores, habent Primatum Ecclesiæ in nouo Testamento.

Negamus posteriorem partem Minoris: Nam & Apostoli eorumque successores suum, & Principes seculares suum Primatum a Christo acceperunt.

Illum docendi causa Primatum spiritualem, hunc Suprematum in spiritualibus dicimus. Itaque non solum quod vrget ex R^di^ episcopi, & Thomsonij cōfessione, *antequam Reges Christo nomen dederant, duos fuisse primos, deinde autem vnum*: sed etiam tria illa quæ assumit p. 107 sine incommodo omnia concedimus: fatemur *Apostolos iure diuino adeptos esse Primatum ecclesiæ*: nempe eum quem dicimus Primatum spiritualem: fatemur *hoc ius mutatum non esse*: atque adeo, quod tertium vocat, *non esse translatum ad Reges*, puta quoad substantialia: manet enim penes Apostolorum successores hic Primatus: vnde in suis Prouincijs Metropolitani Primates dicuntur. Sed expecto, quomodo hinc inferat, *Reges non accepisse a Christo suum in spiritualibus suprematum*. Hoc enim erat, quod negatum est, quodque probandum suscepit: pro quo, cum concludit *ius illud Primatus, quod Apostoli habuerunt, manere apud episcopos*, ineptè mutat quæstionem: & confessum concludit pro controuerso. Quod enim ait R^dus^ Episcopus, & cum eo alij ex nostris, ex quo Principes Politici Christiani fuerunt, remp. & ecclesiam illis in locis in vnum coaluisse, sicque, non, vt ante, in duobus duos primos permansisse, sed, vt par est in vno regno, vnum primum extitisse: non ita intelligendum, quasi alterius primi potestas in alterum translata esset, aut quasi non semper vtrique sua potestas integra permaneret: sed vt nihil aliud velint, nisi accrescente principi Politico potestate, quæ ante vtrique deerat, Primatis ecclesiastici potestatem in spiritualibus, quæ ante nullum in eo genere superiorem agnouit, nunc aliquem agnoscere: sicque qui ante, quoad potestatem in spiritualibus

alibus (non solum quoad potestatẽ spiritualem) primus fuit, iam non amplius primum quoad potestatẽ in spiritualibus dici posse: etsi nihil huius potestatis quod habuit deperdat: quin potius potestatem suam multo quàm ante fundatiorem, magisque ex accessu secularis brachij confirmatam obtineat. Sic enim, cum ante constitutas ciuitates paterna potestas non solum suprema œconomica, sed etiam suprema in œconomicis rectè dici potuerit, quæ nunc suprema in œconomicis dici nullo modo potest: non tamen accessione Politici dominij imminutum, aut translatum vllum ius paternum: quin potius hoc pacto multo quàm ante confirmatius redditum. Nec tamen idcirco ecclesiæ regimen initio imperfectum à Christo constitutum fuisse dicimus: quod enim ex hac parte initio defuit, abundantiore spiritus sancti gratia suppletum fuisse agnoscimus.

Cap. 5.

Ad ea quæ habet Aduersarius de Iuramento Fidelitatis.

Pag. 116, *De his* (inquit) *potest esse quæstio.*

1 *An Pontifex possit Regem, qui id meritus sit, excommunicare.*

2 *An possit illum, si meritus sit, deponere, aut subditos ab obœdientia liberare.*

3 *Quo iure id possit.*

4 *In quo casu.*

Hæc (inquit) *videntur negari in iuramento a Rege*

proposito: verè, an falsò, iam videbimus. Quod ait *de his*, intelligendum de his partibus iuramenti. Ante enim dixerat, *partes iuramenti examinandas*: vnde cum addat initio huius paginæ, *hæ veræ sunt*, necessariò & proxima periodus, quæ sic incipit, *At de his potest esse quæstio*, de *partibus iuramenti* intelligenda. Ita simul & loquendi ineptia multiplici peccat, & fingendi impudentia non leui: sed illa mitto: de hac monendus lector. Papistarum enim pars magna, & (nisi fallor) pars maxima, Papalem Regum deponendorum potestatem nullam agnoscunt: qui tamen Papalem Regum excommunicandorum potestatem vel admittunt, vel nonnulla probabilitate niti arbitrantur. Ita, si in iuramento fidelitatis non solum illam, sed & hanc potestatem negari persuasum habuerint, non poterunt non eidem iuramento iniquiores esse, cui alioqui satis æqui fuissent. In magna igitur calumnia fingit, hoc iuramento negari potestatem Regum excommunicandorum. Eo autem magis inexcusabilis hæc calumnia: quod cum sciat nostros omne, & rei ipsius euidentiam contra testari, hanc tamen suam suppositionem, cui etiam tota prima eius contra iuramentum fidelitatis disputatio innititur, ne vno quidem verbo confirmare conetur. Id quod eo etiam adhuc intolerabilius est, quod cum ipse nullam pro hac suppositione rationem afferat, vnicam Bellarmini rationem, quæ in Torto legitur, immatura confessione euertat funditus. Ait enim p. 122, *aliud esse excommunicare Regem, aliud deponere; nec alterum cum altero necessario cõnexum esse, quin & multos Reges & Imperatores fuisse excommunicatos, nec tamen ideo depositos, & contra, multos, depositos, nec tamen ideo excommunicatos.*

excommunicatos. At Bellarminus in Torto ex eo, quod ista necessariò connexa sint, probat iuramento fidelitatis negari papalem potestatem Reges excommunicandi. Quod enim in iuramento dicitur obœdientiam & fidelitatem præstabo Regi etsi excommunicato a Papa: pro eodem accipit, ac si diceretur, non parebo Papæ Regem excommunicanti: ideoque, cum in hoc implicetur negatio papalis potestatis excommunicandi Regem, & in illo itidem implicari, vbi tantum dicitur id, quod Becanus pagina illa 122 concedit, ius regium non tolli per excommunicationem. Inspiciatur locus in Torto p. 19 editionis Colonienſis, anno 1608. vnde ad primam huius capitis quæstionem, qua contendit Becanus, *Pontificem posse Regem qui id meritus sit excommunicare*, sic disputo

Qui negat ius Regium necessariò tolli per excommunicationem a Papa pronuntiatam in Regem, idem secundum Bellarminum negat Papalem potestatem excommunicandi Regem:

At Becanus p. 122 verbis supra positis, hoc negat: Ergo idem ibidem negat Papalem potestatem excommunicandi Regem.

Resiliet scio hìc a magistro: atque ita friuolam fatebitur rationem eius vnicam in Torto, qua contendit, in hoc iuramento negari potestatem istam excommunicandi Reges. Et quomodo igitur homo impudens conclusionem in re tanti momenti, quam a nobis pernegari non nescit, sine omni confirmatione concedi sibi postulat, cum ipse vnicam, qua conclusio ista niti videbatur, rationem, spontanea confessione euertat?

¶ 2. Vt in proponenda hac quæstione de Papa-

li potestate excommunicandi Reges, falsatorem egit, & præuaricatorem : ita in discutienda nugatorem. Postquam enim tres paginas consumpserat de rebus extra hanc quæstionem positis, quarum pleraque omnibus nota sunt, nonnulla autem falsa, quæ sine omni probatione sumit pro confessis, tandem duplici argumento inanissimo rem concludit, nec omnino ad ea quæ nostri contra disputant, vel verbo vno respondet.

Prius argumentum ex vi Metaphoræ pascendi: vbi si recte colligit, oportet etiam penes quemuis simplicem Parochum esse excommunicandi potestatem. Hos enim pastores spirituales esse negari nequit. Itaque si omnis spiritualis pastor habet potestatem segregandi oues morbidas, & depellendi illas ab ouili, quod excommunicationem vocat : certe & Parochus vnusquisque hanc potestatem habebit. Hoc cum absurdum sit, & confusionis plenum, fatendum in auctoritate pascendi, non necessario comprehendi auctoritatem excommunicandi : quin latiùs quoad auctoritatis subiectum pateat auctoritas pascendi, quàm excommunicandi. Et, si latiùs patet quoad subiectum, id est, quoad eos qui auctoritatem exercerent, quidni etiam latiùs pateat quoad obiectum, id est, quoad eos in quos hæc auctoritas exerceatur ? Si vis metaphoræ exceptionem vnam admittit, vt non omnibus pastoribus data sit excommunicandi potestas, quidni & alteram admittat, vt ijs quibus data est, non data sit in omnes suæ curæ pastorali commissos ?

Alterum argumentum ex facto Pontificum : Sed nec ex facto rectè concluditur de iure. Nec auctorem

rem profert vllum in tam longo Catalogo Regum excommunicatorum. Et in aliquos quidem fatemur pronuntiatam excommunicationis sententiam: Sed de alijs quos itidem nominat, præsertim de antiquioribus, Theodosio, Arcadio, & Eudoxia, ne hoc quidem fatemur: imo nec de Leone Isaurico. Aliud enim in Leonem hunc pronuntiatam esse excommunicationis sententiam, aliud (quod solum tessatum habemus) Iconolastis, quorum princeps hic Leo Isauricus; synodali decreto Anathema dictum esse. Sed cum de facto quærimus, vtrum Reges illi excommunicati fuerint, id est, vtrum ius illud Papæ in praxi olim agnitum fuerit, non solum quærimus quid Papa aut Episcopi contra eos sententiæ tulerint: sed etiam quid pij eorum subditi admiserint. Si enim à regnis Christianissimis spreta fuit Præsulum aut Pontificis sententia, certè attentatæ potius quam inflicta excommunicatio: atque ita non minus hinc pro nobis hoc casu argumentum, colligi poterit, quàm contra nos. Nec admissas (credo) à pijs subditis illas in Reges, quas dicit, excommunicationes omnes, aut pleraſque persuadebit. Nimis dura hæc prouincia de tot Regibus & Imperatoribus probare, populum Christianum ijs subditum tantisper, dum sub excommunicatione essent, *omni cum ijs conuictu & conuersandi societate abstinuisse*: atque adeo habuisse eos quasi *Satanæ tradutos, ejectos de Ecclesia, sublatos de medio, & à communione orationis & omnis sancti commercij relegatos.* Tales enim iuxta hunc Iesuitam (vt tradit p. 119) oportet à pijs habitos fuisse, qui ab ijs pro excommunicatis habiti fuerint.

¶ 3. Secun-

¶ 3. Secundam huius capitis quæstionem pag. 122 proponit, *An Pontifex possit Regem, qui id meritus sit, deponere.* Tertiam p 128 *quo iure possit:* 4am p. 152 *in quo casu possit.* Hîc notetur primum, vt toti huius capitis doctrinæ vulnus grauissimum ipse infligat. In his enim tribus quæstionibus de depositione, quemadmodum & in quæstione de excommunicatione, supponit Regem nec excommunicari posse, nec deponi, *nisi meritus sit:* vnde & p. 116 diserte fatetur *Pontificem sine legitima causa non posse Regem nec excommunicare, nec deponere:* tegiuersatur quidem de hac re p. 152, vbi locus postulabat, vt rem, quemadmodum initio promisit, *perspicuè & sine ambagibus explicaret:* & tamen hîc quidem nihil ait nisi, *si id meritus non est, deponi non debet.* At de hoc nemo dubitat: nec quæstioni an subditis, Papæ, etsi forte (vt sæpe fit) de facti iudicio erranti, acquiescendum sit, satisfacit illud *deponi non debet*, multæ enim sententiæ iudicum non debent ferri, quæ tamen, cum feruntur, executioni ab alijs mandari debent. Sed benè sit loco alteri, vbi sponte fatetur, si Rex meritus non sit, non modò non *debere*, sed ne *posse* quidem cum à Papa vel excommunicari, vel deponi. Vnde & hac ipsa pagina 152, vbi *doctorum* nescio quorum, *et piorum iudicio æstimandum relinquit, an Rex depositionem meritus sit:* vtcunque Regum statum & salutem, pro sua temeritate, nescio quibus subijciat, simul tamen & de Papæ iudicio ab alijs iudicari vult: nec omnino valere sententiam Papæ, nisi etiam à pijs suis, & *doctis* (Iesuitas credo intelligit) approbetur. Et quomodo igitur potest Pontifex Regem deponere, ad quem de causa legitima, sine

qua

qua Rex deponi non potest, non pertinet iudicare? Nimis oscitanter censores Romani, qui (vt initio dixi) ex priore editione expunxerunt, quæ contra Papam facerent, hanc Iesuitæ præuaricationem intactam transierunt. Nam etsi *piorum & doctorum æstimationem* tantum illam intelligat, quæ sententiam latam in consiliariorũ Papæ consultatione præcederet, non autẽ etiam, aliquã quæ post latã sententiam moueret quæstionem: At in eo quod fatetur, non posse Regem sine legitima causa vel excommunicari, vel deponi, semper locum iustæ exceptioni, quo minus sententiæ Papali pareatur, relinquit. Fatetur enim, si forte Papa in iudicio de Regis merito, id est, in facti iudicio errauerit, vt meritum poenas illas statuerit, qui meritus non sit, planè irritam esse & excommunicationis & depositionis sententiam. Atqui in facti iudicio sæpe errare Papam omnes confitentur. Quidni ergo semper mouere quæstionem pro Regibus suis subditi possint, contra huiusmodi excommunicationis aut depositionis sententias: quarum auctoritas à facti iudicio, vbi papa sæpe errat, tota dependet? Sed & p. 154 iterum nec leuiter incursat in doctrinam suam, vbi negat Regem vtcunq; meritũ posse deponi à Papa, *Si ex depositione sequerentur plura mala quàm bona. Non potest* (inquit) *vti sua potestate in destructionem, sed tantum in ædificationem: vteretur autem in destructionem, si deponeret aliquem Regem, ex cuius depositione sequerentur plura mala, quàm bona.* Quis non videt his verbis perpetuam suppeditari exceptionem, quominus Papæ Regem deponere aggredienti pareatur? aut enim reuera ita erit, quomodo semper hactenus fuit, vt ex huiusmodi

modi conatibus Papalibus ſequantur plura mala quàm bona: aut ſaltem maximè probabile erit, hoc pacto rem ſe habituram. Ita, cum non peccet, qui, cũ opinionum altera neceſſariò ſequenda eſt, opinionem maximè probabilem ſequitur: certè numquam erit, quin ſine peccato reijci poſſit Papalis Regum depoſitio. Nè *Bellarminus* quidem ipſe erga ſuam doctrinam multo clementior: ſecundum quem in Reſponſione ad conſiderationes Gerſonis, *Abuſus clauium in re eſſentiali nullitatem ſententiæ facit*, & de concil. l. 2. c. 19. *licet repugnare Pontifici vi & armis, ſi Eccleſiam deſtruere velit*, & iterum, *ſicut licet reſiſtere Pontifici inuadenti corpus: ita licet reſiſtere inuadenti animas, vel turbanti remp.*

Proximè hîc notandæ aduerſarij ineptiæ, dum ſeorſim diſcutienda proponit, quæ non niſi ſimul demonſtrari, aut refutari poſſunt. Primum diſputat, *vtrum poſſit* Papa Reges deponere, deinde *quo iure poſſit*: quaſi verò aliter docendum eſſet, *poſſe* hoc eum, quam docendo eum aliquo iure hoc poſſe, atque ita, etiam explicando, quo iure hoc poſſit. Ne *poſſe* quidem facile docebitur, niſi doceatur et *quo caſu poſſit*: id quod tertio loco quærit nimirum p. 152. Quanquam ibi nullum omnino caſum commemorat: quo poſſit hoc pontifex. Requirit quidem vt cauſa legitima ſit: ſed quæ cauſæ legitimæ ſint (id eſt, quo caſu Rex deponi poſſit) ibi quidem, vbi hanc quæſtionem tractandam proponit, nullus explicat: alibi obiter hoc attingit. Si ad iſta tam malè diſpoſita, ordine non ſuo reſpondeo, nihil mirabitur. Nec ſi paucis de re tanta reſpondeo homini nugaciſſimo mirum eſſe debet. Reſponſiones enim noſtras quas

neſcire

nescire non potuit, fere vbique dissimulat, dum sua sæpe refutata ad nauseam iterat.

Primum argumentum p. 123, & iterum p. 128, & iterum p. 156, ex tertio canone quarti concilij Lateranensis. Quanta autẽ impudentia quæ in Tortura Torti (vt taceam de aliorum responsionibus) diligenter ad hoc argumentum responderi sciuit, eorum nihil, cum ita sæpe huc rediret, agnoscere? Agnouit quidem Eudæmon Ioannes, & contra disputauit, vt potuit: sed responsionem nostram nuper excusam Oxoniæ, & paulò post ex altera etiam Academia luculentam responsionem accepit.

Secundum argumentum p. 126, ex sententia doctorum, quorum nuda nomina recitat ex Bellarmino contra Barclaium: & hîc quoque responsionem, quam dudum ad singula dedit Barclaius Iunior, eruditam & idoneam dissimulat suo more.

¶ 3. Tertium Argumentum p. 140.

Quicquid potestatis ac iurisdictionis permissum Pontifici in veteri Testamento, hoc etiam in nouo permissum illi est.

At in veteri permissum illi fuit, vt deponeret Reges, si id meriti essent.

Ergo etiam in nouo permissum illi hoc est.

Maior (inquit pag. 141) *siue vera, siue falsa sit, vltro conceditur ab aduersariis.* Magnum mendacium. Nemo nostrum, quod scio, hanc Maiorem propositionem concedit. De hac falsatione sententiæ nostræ supra dixi capite 2°. Minorem confirmat primum ex loco Deut: 17. 12, *Qui superbierit nolens obaedire Sacerdotis imperio &c. Nihil certius esse* ait p. 130. *quam Pontificem* huius scilicet Legis vi, *potuisse mandare*

dare, vt *Reges vita priuarentur, si ei nollent obœdire*: puta in Lepræ iudicio: & statim, *poterat Pontifex eos, si contumaces essent priuare vita: ergo & regno, de hoc nemo dubitat.* Quam insigniter huius legis & verba & sententiã communi suorum vitio, & verba etiam proprio vitio falsèt, iam supra dixi capite tertio ad conclusionem quartam. Quam putidè hîc in re tanti momenti suum *nihil certius*, & iterum suum *nemo dubitat* adhibeat, indicat ipse p. 138. vbi obiicit sibi ipsi, quasi ex probabili sententia, *absurdum videri*, vt Pontifex Iudæorum potestatem vllam habuerit Reges interficiendi. Nec minus ineptum, quod quasi pro re manifesta, imo quasi pro re 2 Paral. 26, 21 testata, hîc sumit, non solum ex iussu Pontificis factum, vt Huzzias iam leprosus seorsim habitarit, sed etiam Huzziam huic iussioni ideo *statim* paruisse, quia *veritus esset*, ne ex lege Deutr. 17. 12. *si contumax esset*, etiam morte puniretur.

Secundo Minorem tertij huius Argumenti confirmat hac eadem pag. 130, ex loco Leuit 13. 44. *Omnino immundum pronuntiabit eum sacerdos*: vnde cum v. 46 statuatur vt leprosus *solus habitet extra castra, & fieri potuerit, & aliquando factum sit, vt etiam Reges essent leprosi*, colligit Regis in hoc casu deponendi ius fuisse penes summum sacerdotem. *Secundò* (inquit pag. 130) *potuit Reges priuare suo regno, quia, etiamsi contumaces non essent, poterat iubere, vt propter lepram separati habitarent extra castra vel vrbem: hæc autem separatio, si perpetua esset, includebat priuationem regni, vel certè administrationis regni.* Hæc ille: vbi homo futilissimus sic disputat. *perpetua separatio vel regno, vel certè administratione*

regni

regni priuabat : ergo regno priuabat. Quasi a propositione disiunctiua ad categoricam valeret consequentia. Nec addi hic potest, quod p. 132 significat, eum, qui nec regnum administrare per se potest, nec spem habet suo tempore administrandi, *re ipsa Regem non esse, etsi titulo Rex sit.* Regem enim facit, non administratio, sed auctoritas, quæ vel in desperata administrandi facultate constare potest. Nec vel scriptura 2 Par. 26. 21. vel Iosephus Antiq: 9. 11, testantur, Huzziam ante mortem *regno exutum:* quin de vtroque testimonio fingit aduersarius: & in vtroque dissimulat id quod ipsi obesset. Caput enim illud 2 Paral. 26 testatur, *Huzziam natum sexdecim annos cum regnare inciperet, regnasse Ierusalaimis quinquaginta duobus annis:* id est ad annum vitæ sexagesimum octauum: quo anno mortuum fuisse certum est ex loco illo Iosephi: qui & ibidem cum vsque ad mortem regnasse testatur. mortuum scilicet anno regni quinquagesimo secundo, ætatis sexagesimo octauo: cum decimo sexto regnare cœpisset. Itaque, quod ex eodem loco Iosephi vrget Bellarminus contra Barclaium c. 37, & ex eo aduersarius hîc nosier, ex quo leprosus fuit, *priuatum vixisse:* si Iosephus ita locutus fuisset (qui tamen tantum ait eum deinceps ἰδιωτεύειν id est priuatam vitam egisse) nihil tamen esset, nisi separatum seorsim vixisse. Quis enim annos regni cuiusquam computando extendit, vt etiam annos vitæ post legitimam & confessam depositionem aliquandiu durantis comprehendat? Quin & 2 Reg. 15 32, Iotham huius Huzziæ filius, quem verè Regem ex eo fuisse volunt, ex quo pater eius ob lepram separatus est, dicitur regnare cœpisse

post

post initium regni Pekæ Regis Israëlis : & hic Peka ab anno quadragesimo secundo Hazariæ siue Huzziæ Regis Iehudæ regnare cœpisse dicitur. v. 27. Ita non solum vsque ad mortem regnauit Huzzias teste scriptura sacra, sed & eâdem teste Iotham filius eius regnare non cœpit ante mortem huius Huzziæ, vt in hoc Iothamo initium administrationis & regni necessario distinguendum sit : nisi dixerimus ante eum cœpisse regnare, quàm cœpit regnare.

Tertio Minorem confirmat ex facto Ioiadæ summi sacerdotis, qui Athaliâ Regis auiam, regnũ superstite Rege legitimo vsurpantẽ, assumptis in societatẽ proceribus, interfecit. Hic, cum exceptio vna sit, Ioiadam hoc fecisse non quatenus Pontifex, sed quatenus vir in rep. primarius erat, & maritus amitæ Regis, quæ Regem morti eripuerat, & hactenus viuum conseruauerat : vt ideo maritus eius communi iure gentium legitimus Regis pupilli Tutor haberi debuerit: ad hanc exceptionem duo regerit aduersarius: vnum, quod tam in sacra scriptura, quàm apud Iosephum legatur Ioiadam præcepta & mandata rei gerendæ dedisse : alterum publicam auctoritatem in Ioiada nullam fuisse nisi Pontificalem, nec priuata auctoritate opprimi Athaliam iure vllo potuisse. Ad prius responsum a Barclaio iuniore iamdudum accepit : vbi a pluribus res gerendæ sunt, necesse esse, vt vnius alicuius mandato alij pareant : ideoque talibus temporibus sæpe mandata alijs ab eo dari, qui specialem præ ceteris auctoritatem nullam habet. Ad secundum respondeo falsum sumi pro confesso. In Ioiada enim publicam auctoritatem aliam fuisse quam Pontificalem (nempe ipsam Regis, cuius hic

Ioiada

Ioiada Tutor adhuc erat) iam indicaui : & locus 2 Reg. 11. 4 satis innuit: vbi dicitur, *ostendit ijs filium Regis, præcepitque dicendo* &c. quibus verbis indicatur eum, non sua, sed eius, quem ijs *ostendit*, auctoritate mandata illa dedisse.

Altera contra hoc exemplum exceptio, Ioiadam neminem vllo regni iure priuasse : ideoque frustra hoc exemplum afferri, vt doceat Iudæorum Pontificem potuisse quenquam iure regni priuare. Hîc cum res manifesta sit (ius enim regni penes Ioasum fuit, ideoque penes Athaliam esse non potuit) prima quidem editione, quod Bellarminus Barclaio hoc vrgenti cap. 38, vbi ait *credibile esse populum consensu suo regnum Athaliæ approbasse*, timidiusculè significauerat, id ipsum simpliciter & apertè professus fuerat, prout initio inter assertiones a Parisiensibus vexatas recitaui, assertione tertia, qua contendit, ad ius regni consensum populi in republica Iudaïca sufficisse, etsi constaret alium superesse, qui legitimus esset regni hæres. Sed censoribus Romanis nimia visa hæc loquendi simplicitas. Itaque hoc expuncto, reliquam fecerunt negationem meram, dum nihil iam ad rem respondet, nisi populum de Ioaso superstite nihil suspicatum, putasse ius regni penes Athaliam fuisse. Et quid quæso hinc contra nos? vt enim multi putarint neminem de stirpe regia superfuisse, ideoque Athaliam putarint legitimam Reginam fuisse: non tamen ideo sequitur legitimam fuisse, aut Ioiadę ijsque qui cum eo coniurarant, sic visum fuisse. Atqui horum certè alterum fuisse oportet, siquid ex hoc exemplo probabiliter colligi volunt ad propositum. Si enim Pontifex cum sociis laudabiliter eam regno

exuit, quæ vel habuit, vel ipſi cum ſocijs viſa eſt habere ius regni, hoc quidem non nihil ad rem faceret: At quid ad rem, ſi eam laudabiliter depoſuit, quæ nec habuit ius huiuſmodi, nec vel ipſi, vel ſocijs eius, ſed tantum alijs qui nihil hîc egerunt, habere viſa eſt? Atque hæc quidem ad triplicem confirmationem minoris propoſitionis tertij argumenti, quod aduerſarius primum vocat. Quæ addit p. 137 & ſequentibus, nefariam aſſertionem continent vnam atque alteram: ſed priorem falſo, quod iam refutaui, poſteriorem planè nullo fundamento ſultam: vtramque etiam extra ſemitam: ita neutram nunc refutari opus: vtramque initio inter alias recitaui.

¶ 4 Quartum argumentum (quod aduerſarius ſecundum vocat pag. 141) à duobus priuilegijs Gregorij primi: quorum alterum Xenodochio Auguſtodunenſi libr: 11. Epiſt: cap. 10, alterum Monaſterio ſancti Medardi conceſſum lib: 12. poſt cap. 31 extare ait. Ex vtriſque interprete *Gregorio* ſeptimo lib. 8 Epiſt: 21, colligit, *Gregorium* primum decreuiſſe deponendos Reges, atque excommunicandos, qui ſtatuta ſua de vtrouis loco violauerint: Sat ſciuit homo futilis, *Gregorium* ſeptimum apud nos non habere ius interpretis: præſertim in hac cauſa: nec neſciuit, quid reſpondernt noſtri iam ſæpius: nimirum verba *Gregorij* non continere decretum, ſed imprecationē: quod & indicant verba quæ à *Gregorio* quidem adduntur ſed hîc ab eo, qui cetera tā prolixè recitat, fide peſſima omittuntur: *Omnium* (inquit) *maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio ſeculi, vſq; in præſens damnati ſunt, cum Iuda traditore domini in inferno inferiori damnetur, niſi digna pœniten-*

penitentia præfatorum sanctorum sibi propitiauerit clementiam. His verbis decerni aliquid aut iuberi à *Gregorio*, ne *Bellarminus* quidem ipse cap. 40 contra *Barclaium* admittit (quàm ineptum enim ne dicam atrox, vt hæc sibi sumeret *Gregorius?*) nec nudam permissionem (credo) quisquã aut directionem dixerit. Et quæ igitur vis alia modi imperatiui, nisi vt aut permittat, aut dirigat, aut opter, aut iubeat? Imprecatio ergo istud, *damnetur*: ideoque & priora *priuetur*, *sequestretur*: ex quo etiam satis probabile est, suppositia esse illa testimonia, & à *Gregorij* primi spiritu alienissima. *Quis enim* (vt rectè *Bellarminus* contra *Barclaium*) *tam crudelis inuenitur, qui hoc imprecetur?* addoverò ego, qui tam dira imprecetur Regi, qui sine subsequente pœnitentia Monachos Medardenses *inquietauerit?* Quanquam, vt demus genuina esse verba *Gregorij*: atque adeo illud, *damnetur*, non esse imprecationem, sed vt vult Bellarminus, *meriti declarationem*, saltem vidisset *Becanus*, vel à *Barclaio* iuniore admonitus, quid hinc sequatur: nempe etiam verba illa, *honore priuetur*, & *à consortio Christianitatis sequestretur*, eodem modo exponenda esse: vt nihil ne hîc quidem decreuerit *Gregorius*, aut iusserit: sed tantùm declarauerit, quid priuilegiorum violatores mereantur. Sed quorsùm ista refutando homini ignauissimo: qui vel centies à nostris refutata passim ita regerit, vt vbique responsiones nostras, & quicquid sibi incommodare sentit, constanter dissimulet?

¶ 5. Quintum argumentum (quod aduersario secundum suam methodum, etsi quatuor argumenta iam proposuerit, tertium est) ab exemplis petitur p. 143, & 144. vbi quia tantum ex *Bellarmino* transcri-

bit ſuo more, neque quicquam quoad facti quæſtionem regerit ad noſtrorum notiſſimas reſponſiones, quas hîc quoque fortiter diſſimulat: quid opus vlteriore mora, quàm vt nugatorem ſaltem ad Romano-Catholicos ſuos, qui in hac cauſa à nobis ſunt, & nominatim ad *Widdringtonum*, *Barretum*, & *Barclaium* Iuniorem remitterem. Sed quia res non parua eſt, exponam paucis ſummam eorum, quæ in iſta facti quæſtione aduerſarius, ſi per ignauiam & ſtupiditatem potuiſſet, inprimis agnoſcere debuerat.

Primò (inquit p. 143) *Gregorius ſecundus non ſolum excommunicauit Leonem Imperatorem, ſed etiam priuauit illum parte Imperij: quia prohibuit Italis ne amplius ſoluerent illi vectigalia. Ita Cedrenus & Zonaras in vita Leonis Iſauri, Baronius Tomo 9 ad annum 730 & alij paſſim.* Reſpondeo, in hac facti quæſtione nihil agitur, niſi docetur Papalem Regum deponendorum poteſtatem de facto & in praxi inter Chriſtianos Principum ſubditos, ita admiſſam fuiſſe, vt principibus ſuis ideo obœdientiam ſubtraxerint, quod Papa eos obœdientiæ vinculo per hanc ſuam poteſtatem, palam & iuridicè liberauerit. De Italis ab Iſauro deficientibus, nihil huiuſmodi teſtantur Cedrenus & Zonaras, nihil alius quiſquam veterum: quin ſilent omnes, quam auctoritatem prætendens *Gregorius* vectigalia illa prohibuerit: tantum auctorem defectionis faciunt. Quod vel de ſecretis tantum ac proditorijs machinationibus exponi poteſt. Quomodo & cum ijs facile conſentiunt, qui teſtantur *Gregorium* defectioni publicè reſtitiſſe. Alioquin enim, quo minus illis, potius quàm his credamus, facit *Baronius* ad annum 726: vbi improui-

prouidus eorum, quæ ad annum 730 additurus fuit, monet hoc *in odium atque invidiam Romanæ Ecclesiæ* contra rei veritatem à Græcis, quos nonnulli Latini secuti sunt, narrari: cum Latini historici quamplurimi *Gregorium* defectioni Italiæ sæpe restitisse commemorent. Et quomodo igitur defectionem Pontificia potestate imperauit, aut legitimam fecit, si mentiuntur, qui auctorem eum huius defectionis faciunt? aut si tandem palam & publicè (clanculum enim quid egerit nihil moramur) auctoritatem suam rebellibus impertiuit: cur plerique Latini tantum meminissent de eo quòd initio restitit, non autem etiam, aut saltem potius de eo quòd tandem consensit? Ad hæc, si iam inde à temporibus *Gregorij* secundi, Itali (vt tradit *Bellarminus* in Prolegomenis contra *Barclaium*) Constantinopolitanum, *neque de facto neque de iure* pro Imperatore agnouerunt, idque (vt ibidem *Bellarminus*) auctoritate Actorum synodalium, quibus sub *Gregorio* hoc secundo Iconoclastis Anathema dictum est, quomodo aut *Baronius* ad annum 726. fatetur *Gregorium* post hanc synodum defectioni Italiæ obstitisse: aut hic ipse *Gregorius* post celebratam hanc synodum, Epistolam ad *Bonifacium Moguntinum* cuius meminit *Marianus Scotus* in anno 727, ita claudet, vt apud Auentinum Annal. lib. 3. videre est, *Imperante Domino pyssimo Augusto Leone a Deo coronato magno Imperatore, imperij eius anno septimo.* Iterum vrgeo, si vel à *Gregorio* tertio (vt Latini potius volunt) huius modi aliquid, tanquam ex potestate Papali, actum contra hunc Leonem, cur idem hic *Gregorius* Epistolam quandam suam, quæ extat apud eundem Auentinum, cuius &

Marianus Scotus in anno 741 meminit, quam Epistolam paulò ante mortem huius Leonis scriptam constat, anno imperij eius penultimo, hanc inquam Epistolam cur ita claudit, *Imperante Domino piissimo Augusto Leone, imperij eius anno vicesimo tertio: sed & Constantino Magno Imperatore eius filio, anno vicesimo?* Addo & vlterius: Si vel ab hoc, vel ab illo, papali potestate actum quicquam huiusmodi, quomodo recenti adhuc memoria, anno 753 *Constantini* illius, qui Copronymus dictus est, auxilium petit *Stephanus* Papa contra Longobardos: idque hoc argumento, vt apud Blondum apparet, ne Italia excidat? quomodo ad eundem *Stephanum* à *Constantino* illo mandata nulla, de vrbibus à Longobardorum Rege Aistulpho repetendis? quæ mandata ab hoc *Stephano Baronius* (qui & illam auxilij petitionem agnoscit) fatetur multa cum solicitudine, etsi sine successu, eo ipso tempore procurata, cum iam maturis defectionis consilijs, iter ad Pipinum in Galliam capesseret.

¶ 6. *Secundo* (inquit p. 144) *Zacharias Papa deposuit Childericum Francorum Regem: & in eius locum substituit Pipinum. Ita Eginhartus, Aimoinus, Regino, Marianus Scotus, Abbas Vrspergensis, Otto Frisingensis, & alij citati apud Card. Bell. in tract: de potest: Summi Pontificis* c. 42. Mira hominis frons, qui cum ex Bello, cui iamdudum a nostris respondum est, ista omnia transcribat, tam constanter nostrorum responsiones dissimulet. Primum in Childerico nullus vere Rex depositus: quin iam *per annos octoginta* (vt ait Sigebertus in anno 750) *Maiores domus principatus sunt super Reges Francorum.* Vt merito grauissimi

mi Historici, Annales Franciæ, Aimoinus, Regino, &c alij dicant Childericum, *falso Regis nomine functum: & falso Regem vocatum, cum potestatem nullam regiam habuerit.* Etiam antequam actum quicquam contra Childericum, Pipinus, & ante eum alij Maiores domûs, apud historicos Regum nomine insigniuntur: vt videre est apud Aimoinum. li. 4 c. 57 & 59. & apud Marianum Scotum in anno 741. vel ipsa quæstio, qua Zachariam apud Gaguinũ consulunt, hoc indicat: cum quærunt, *vter ex Regibus* &c. Nec alio spectat apud eundem responsio Zachariæ, *melius sibi videri illum Regem vocari &c.* Ita non tam de faciendo statuit Zacharias, quàm de facto: nisi quod de Regis nomine ei, qui hoc nomine falso fungebatur, auferendo, consilium dedisse dicatur, & hoc certè vel pro iusta responsione esse poterit: cum verum sit penes Majores Caroli Magni, ante natum Zachariam Papam, auctoritatem & potestatem regiam in regno Francorum fuisse, & ipsum etiam nomen regium. Sed & addimus ex Gotfrido Viterbiensi, Trithemio, & alijs permultis, qui apud Widdringtonum recensentur, consilium fuisse Zachariæ non iudiciariam sententiam. Quanquam & sententiam iudiciariam sine incommodo agnoscere possumus cum Ioanne Maiore in 16 Matthæi, vt Childericum deposuerit auctoritate sua, & tamen non auctoritate perpetua, aut Pontificia, sed quam ei Pipinus cum proceribus & populo pro tempore ad rem definiendam concesserit. V trouis ergo modo (nempe vel de auctoritate cõsiliarij, vel de auctoritate concessa) exponi poterit quod habent Eginhartus, Sigebertus, Hermannus contractus, Vrspergensis, & Frisingensis,

genſis, de *auctoritate Zachariæ*: quod habet Lambertus Schafnaburgenſis de decreto Papæ, poſteriore modo accipimus: quemadmodum & quod Marianus Scotus (quanquam hic quidem addictitius factionis Hildebrandicæ) de Zacharia *mandante populo Francorum*. Nam quod Aimoinus ait *iuſſit Pipinum Regem inſtitui*: & Annales Francorum, *iuſſit conſtitui*, facile exponitur de Bonifacio Moguntino, vt teſtatur Epitome Siffridi Presbyteri; iuſſo à Papa Pipinum inungere: quemadmodum & Reginonis verba quæ itidem à Bell^o citantur, ſeipſa exponunt: vbi ait Zachariam *per auctoritatem Apoſtolicam iuſſiſſe Pipinum Regem creari, & ſanctæ vnctionis oleo inungi*. Nec in his interpretationibus noui aliquid videri debet in eſſe: cum iuxta ipſorum gloſſam in cap. Alius cauſ: 15, q. 6. quod Gregorius 7. ait Zachariam depoſuiſſe Regem Francorum & ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluiſſe, exponatur *deponentibus conſenſiſſe, & abſolutos oſtendiſſe*.

¶ 7. *Tertiò* (inquit eadem pag.) *Leo tertius Pontifex tranſtulit imperium à Græcis ad Germanos. Ita Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus, & plures alij apud eundem Bell: l. 1. de tranſlatione Imperij. c. 4.* Et quid noſtri; imò quid complures Romano-Catholici, contra Bell^um. hoc modo auctores illos interpretantem? hoc quidem aduerſarius ſuo more ſilendum putauit. Sed num etiam Græci Zonaras, & Cedrenus, ius Romani Epiſcopi in regnis tranferendis agnouerunt: atque adeo Imperium iure ſuis Imperatoribus agnouerunt ademptum per ſententiam iudiciariam Epiſcopi Romani: cuius nec Primatum quidem ſpiritualem ſupra alios Patriarchas, niſi ordinis

dinis tantum & loci admiserunt? Imò verò suos Constãtinopolitanos Imperatores semper agnouere legitimos (quis hoc neget?) ideoque nec Imperium ab ijs per Leonem Papam iure translatum confiteri potérant, iniuria factum si dicunt, quid ad rem? præsertim, cum nec de eo, quod per Romanum Pontificem factum hoc fuisse commemorent, credi ijs sinat Baronius: dum pro mendacio eorum in Ecclesiam Romanam (vt modo dixi) reprehendit, quod iacturam factam occidentalis imperij in Romanum Episcopum retorquent. Sed nec Græci illi quicquam, nisi Carolum à Leone renuntiatum, & coronatum imperatorem, vbi & quod additur, *ex quo etiam Roma sub Francis fuit*; quod Bellarminus probè dissimulat, non (credo) libenter a Romanis admittitur. Sed & Diaconus alijque qui citantur apud Bellarminum, complures tantum de *renuntiatione, coronatione, & consecratione* imperatoris exponendi. Hæc enim aliquando creatio Imperatoris dicuntur. Vnde (vt sæpe aliàs) ex ambiguitate in voce, grandis in rebus error. Quem & Adrianus 4. apud Radeuicum Othonis Frisingensis suppletorem ipse iugulat: vbi verba sua ad Fridericum primum, *contulimus tibi insigne imperialis coronæ*, de quibus tam Imperator, quam proceres indignati fuerant, exponit, *imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus*. Alioquin enim clarum ex Historicis, non solum *preces* ad Carolum, sed etiam *scitum* populi Romani præcessisse facto Leonis: vt Leo vel non nisi executus hoc decretum dicendus sit (vnde Sigebertus in anno 801. *eum per manum Leonis coronat*) vel saltem non aliam (si quam omnino) auctoritatẽ suam contulerit, quàm,

quæ

quæ ſolet eſſe partiarij cum alijs communicantis: vnde Æneas Syluius lib. de ortu & auctoritate Imperij Romani, *Populus Romanus* (inquit) *Francorum Regem primò Patricium, poſt Auguſtum, concurrente ſummi Pontificis conſenſu, ſalutauit Cæſarem.*

¶ 8. *Quartò* (inquit eadem pagina) *Gregorius ſeptimus depoſuit Henricum Imperatorem*] Si depoſitionis ſentētia depoſitio eſt, fatemur hunc ab illo depoſitum. Sed de alia depoſitione hoc loco quæritur: vnde contra ſe rem habuiſſe, & Henricum effeciſſe dicimus, vt Gregorius deponeretur. Non enim ſolum effecit, vt in ſynodis Wormatiana, Ticinenſi, & Brixienſi depoſitionis ſententia contra eum ferretur: ſed etiam vt Romanorum iudicio abdicaretur: & vt alius loco eius Romæ inthronizaretur: paſſimque pro papa Romano agnoſceretur: dum Gregorius iſte interim Salernæ exularet: breuique in exilio moreretur. Quo tempore eum, teſte Sigeberto, homine minimè contemnēdo, eorū, quæ contra Imperatorē egerat, pœnituit: atque adeo ad Imperatorem hunc Henricum in hanc ſententiā mandata dedit. Ab hoc credamus de facto depoſitū fuiſſe Henricū hunc: qui & viuente hoc Gregorio ſemper potentiſſimè Imperium obtinens, hoſtes vndiquaque protriuit: & poſt huius mortem annis viginti Imperator perſtetit: donec à filio Henrico ficta ſubmiſſione deceptus, & in poteſtatem redactus, iamque regnandi pertæſus, imperium filio huic ſuo reſignauit: Quin & reſignatum, poſtquam filium nefarium grauiora in ſe parare animaduertit, recuperaſſet (vt quidem videtur, ita res iterum proſperè ſuccedebant) niſi mors paterna, quā filius expectare ægrè ſuſtinuit, non autem papalis

aliqua

aliqua auctoritas imperium filio confirmasset. Attentauit ergo Gregorius Imperatorem deponere, non deposuit. Non enim quæcunque depositionis sententia in facti quæstione depositio dicenda: sed illa tantum, quæ effectum consequitur: qualis ab Henrico quidem Imperatore in Gregorium septimum aliqua, ab hoc autem in illum certè nulla. Ne principes quidem illi Germaniæ, qui Gregorium hunc sibi in partes asciuerant, sententiam hanc eius ratam habuerunt: qui postquam iam promulgata à Gregorio depositionis sententia fuerat, non statim Imperatorem depositum agnouere: aut omnino vi huius sententiæ deponendum potius, quàm vi Legis Palatinæ: qua statuerunt, *absque retractatione in perpetuum causa cassarum* (vt loquitur Schafnaburgensis) *si ante diem anniuersarium excommunicationis sue, suo præsertim vitio, excommunicatione non absoluatur.* Quin & ante quam Gregorius sententiam contra Imperatorem tulerat, ter consilium inierunt, vt eum ipsi exauctorarent. Quemadmodum & postea, cum Gregorius Henricum absoluisset, ipsi nihilominùs Rudolphum Regem eligunt, inconsulto Pontifice: vt fatetur Baronius, & Gregorius ipse l. 4. ep. 23. & 14 ægrè fert factum ab ijs fuisse. Ita Papalis sententia prætextũ, dũ potuit, nunquam causam dedit. Ne filio quidem causam vllam. Quis enim credat filio Papã Paschalem tanti fuisse, qui eundem Paschalem paulò post captiuum armata manu illusit? Animum & vires ad Imperium patri præripiendũ, partim nefaria partis Pontificiæ consilia fecerunt: partim pater ipse per stultitiam, cum anno 1103 per Emerhardum Episcopũ prædicari fecit, se filio summam rerum dimissu-

missurũ, & sepulcrũ domini visitaturum, hinc cõuersio oculorum ad filium, hinc filius spe delusus impatiens moræ.

¶ 9 *Quinto* (inquit eadem p. 144) *Innocentius tertius deposuit Othonem quartum: ita Blondus Dec. 2 lib. 6*] Sic ex Bellarmini lib. 5 de Pont. c. 8 transcribit nugator: neque quicquam addit: neque eorum, quæ a nostris respondentur, agnoscit quicquam. Saltem (si quid voluit seriò) docuisset, Historicos, qui ab Innocentio Othonem depositum memorant, ita intelligendos, vt vi ipsius sententiæ depositionis ab Innocentio prolatæ exutus imperio hic Otho fuerit: vt Principes & quicunque ab Othone defecerunt ad Fridericum secundum, ideo defecerint, quia Innocẽtius in eũ depositionis sententiã tulerat. Nihil huiusmodi fuit, neq; hoc a quoquã affirmari vlla frõte potest. Ad Othonẽ deponendũ concurrerunt, primũ ius indubitatum Friderici iam adulti: & pactio principũ tẽpore patris eius Henrici 6i, & memoria patris, patrui, & aui eius Imperatorum optimorum: deinde Philippi Augusti Gallicani Regis potentia, quam ille omnem Othoni ob fœdus Anglicanum ad extremum opposuit: postremò principum Germaniæ potentissimorum Boëmi, Bauari, Saxonis, odium in Othonem: quod & generis esset inuisi simul & infelicis, ab Henrico Superbo Lotharij genero, & ipse insolentis ac prætumidi ingenij inepto fastu ceteros ex alto despicientis. His omnibus concurrentibus, quasi musca currui concitato, insidens causa scilicet pulueris totius qui excitatus est, accessit depositoria Innocentij sententia. cui quam parum auctoritatis a Principibus delatum fuerit, docet euentus. Sigfrido enim

enim Moguntino, vt principi primario, hanc suam sententiam exequendam mandarat Innocentius: qui cum de sententiæ validitate dissereret, a compluribus, etiam ijs qui Othoni minimè fauerant, vt imperij proditor habetur: vnde bello in ipsum exorto, pulsus fugit ad Hermannum Thuringiæ Landgrauium: & quomodo, qui paulo ante Philippo Imperatori ad extremum adhæsere, contempta excommunicatione, quam cum depositionis sententia hic ipse Innocentius eiaculatus fuerat, nunc eidem Innocentio Othonem excommunicanti tantum tribuerent? præsertim cum auctoritati apud eos suæ ipse non solum ridicula leuitate (Philippum enim excommunicauerat Othonis gratia) sed etiam alio nomine derogagauerit: dum legatione publica apud eos professus, reuocatum iri sua omnia in Philippum fulmina, modo filio fratris sui Richardi filiam Philippi (quam propter Spoletũ, Tusciam, & Marchiam Anconitanam concupiuerat) in vxorem impetret.

Post concilium (inquit) *Lateranense similia facta sunt*] fatemur planè similia. Fridericum enim secundum, & deinde Ludouicum Bauarum deponere omni ope sategerunt Pontifices Romani: sed vterque in Imperio ad extremum perstetit: nec aliud quicquam egere pontifices, nisi quod sibi ipsis & toti Christianismo mala innumera pepererunt. Mirum, hæc exempla a Bellarmino vrgeri, ex quibus contra Pontificiam potestatem Regum deponendorum, non pro ea argumentum habemus: ex eo enim quod Pontifices, omnem auctoritatis suæ vim frustra intenderint, vt hos Imperatores deponerent, sequitur Christianos horum subditos hanc auctoritatem Papalem nequa-

quam

quam agnouisse.

¶ 13 *Dices* (inquit p. 145) *etiamsi hæc facta sunt, non tamen constat iure facta esse*] Imò verò contra argumentum a facto ad ius, etsi infirmissimum sit, nihil nunc excipimus: negamus vnquam factum fuisse vi potestatis Papalis, vt Imperator vllus, aut Rex vllus deponeretur. Sed aggreditur iam denuò probare *iure facta* fuisse: quasi quæ de hac re multis iam ante egerat, nihil essent, aut nihili, duplici argumento (id est, vt numerum teneamus, sexto & septimo) hoc docebit: a personis Pontificum, qui ista tentarunt: & a Metaphora Pascendi. Ad prius respondeo, incertum esse de sanctitate pontificum: nec refert, cum etiam sanctissimis errare contingat. Ad alterum quod iam secundò inculcat, iterum respõdeo, vt ante ineptum & puerile esse, quod postulat metaphorã extendi ad consequentias: alioquin enim sequeretur, & vendi, & edi posse Reges pinguiores a pontifice, quia sic accidit ouibus a pastore. Sed neque tacenda fœdi hominis improbitas: qui hoc loco Reges etiam pissimos pro Papæ *canibus* habeat. Atq; inde, quod ius est pastoris in canem suũ: idem ius esse Papæ in Regem velit. Et hoc ait *rectam rationem dictare*: quia scilicet Rex papæ pastoris Christianorum *canis*. Duo *canum bonorum* genera huic pastori assignat, vnum *concionatorum*, qui *latratu & voce*, alterum *Regum & Imperatorum*, *qui morsu & externa vi ecclesiam defendant*. tum quia Augustinus alicubi loquitur de *canibus laudabilibus* (vbi tamen nec Reges intelligit, nec Imperatores, nec omnino magistratum ciuilem) ideo & Papæ in vtrumque genus ius idem assignat: vt non minus Reges quàm concionatores amoueat: si vel

incipiant

incipiunt molesti esse omnibus, aut languidi & otiosi esse. Similiter & nefarius rabula Scioppius Papam & Episcopos agasonibus, Reges asinis comparat, qui cum tintinnabulis ceteros asinos antecedunt, tribus postremis ecclesiastici sui capitibus hanc parabolam odiosissimus scurra persequitur. Additurus (vt ait) & viginti alias parabolas, quas promisit: sed quia *instabat Francofurtensis mercatus*, hac tam pulchra parabola (quasi simiæ ab asino caudam sumeret) librum terminat. Vterque, vt aranea de suo sumit, ex ingenio suo sumpsit metaphoram, alter canino, alter asinino: vterque (vt nequid grauius dicam) dignus, non qui verbis refutetur: sed qui eo, quod in *canes* & *asinos* facile inuenitur, id est baculo.

¶ 11 *Quæres* (inquit p. 149) *quomodo fiat hæc depositio: respondeo variis modis fieri potest, vsitatus modus est hic, vt Pontifex absoluat subditos a debito seu vinculo subiectionis.*] Si hic modus vnus est ex varijs legitimis, certè etiam hoc omisso alijs modis legitimis fieri hæc depositio poterit: ita Rex regno priuabitur, vt tamen subditi non absoluantur subiectionis vinculo. Quasi caprimulgus aliquis aut fossor, ita garrit de rebus grauissimis fungus insulsissimus Sed nec *quæret* illud de *modo deponendi* quisquam nostrûm: vt qui de re ipsa probationes adhuc desideremus: nec absolutio subditorum ab obœdientiæ debito (cum, si vim & validitatem habeat, ipsissima depositio sit) modus deponendi dici potest: nec qui quæstionem hoc loco de *modo* proponit, *modum* vllum indicat nam ne compensationis quidem via, de qua statim agit, omnino pertinet ad quæstionem *quomodo*, sed *quoiure* fiat hæc depositio. Modi quos dixisset, si audêret

audêret dicere, ſunt coniurationes, proditiones, ſicæ, venena, cuniculis & hypogæis aggeſta pulueris tormentarij dolia.

Nec in rebus melior quàm in methodo. *Poteſtatem* (inquit) *abſoluendi* puta ſubditos a vinculo obœdientiæ, *accepit Pontifex a Chriſto his verbis, Quicquid ſolueris ſuper terram erit ſolutum in cœlis.* Octauum hoc eius argumentum dixeris, vbi quàm diſputationem credi vult a ſe iuſtitui, mendicatio eſt: quæ enim probanda eſſent, precariò auferre cogitat. Non neſcit contra hanc Bellarmini interpretationem multis diſputari in Tortura Torti: contra omnia credi vult nudæ affirmationi ſuæ. Sed tandem addit argumentum nonum, vbi primum anxiè & ſyllogiſticè probat: quod nemo negat, *Reges qui vel non defendunt ſubditos a violenta hæreticorum incurſione, vel ipſi conantur eos in hæreſim perducere, iniuriam ſubditis ſuis facere.* Deinde ſine probatione duo, quorum vtrumque negamus, pro confeſſis ſumit. *Pontificem, vt qui omnibus præſit in ſpiritualibus vindicare poſſe omnem Regum in ſubditos iniuriam in re ſpirituali: & iniuriam illam quam commemorat, ſæpe per papalem abſolutionem ſubditorum a fidelitate vindicari poſſe, cum nullo alio modo poſſit.* His ita poſitis, concludit, *ergo poteſt eos hoc modo abſoluere a vinculo ſubiectionis.* Vbi vt in præmiſſis nugatur quemadmodum dixi, dum & confeſſum probat, & controuerſa precariò ſumit: ita in concluſione delirat ridiculè. Cum enim initio quæſiuerat, *quomodo fiat depoſitio*, & reſponderat, *vnum modum eſſe per abſolutionem ſubditorum ab obœdientiæ vinculo*: & ita (vt poterat) contenderat huiuſmodi abſolutionem legitimum eſſe modum deponendi Regis: concludit *ergo*

hoc

hoc modo (nempe absoluendo subditos) *potest eos absoluere*. Vnde & pari fatuitate pergit, *Potest* (inquit) *& alio modo hoc facere*: nempe alio modo absoluere. Ita duos modos absoluendi subditos a se hîc commemorari facit: vnum in prædictis quærendum, sed nusquam inueniendum: ibi enim ipsam subditorum absolutionem posuerat pro modo quo fiat depositio: modum, quo hic modus fiat, nullum ne conatus quidem fuerat indicare. Ad somnolentiam aduersarij & stupiditatem, qui secunda editione sic loquatur, hæc pertinent. Nec morandum hîc de *via compensationis*, quam homo sentiendi pariter & loquendi imperit: simus, facit *alium modum quo Papa possit subditos ab obœdientiæ vinculo absoluere*. Decimum hoc eius argumentum dixeris: vbi versiculus *frangenti fidem, fides frangatur eidem*, quo solo, quasi rastris & ligonibus ad hanc *viam* complanandam vtitur, quemadmodum & alibi sæpiculè hanc cantilenam canit, non magis quoad grammaticam barbarus, quam quoad sententiam impius est.

¶ 12. Vt, vbi quærit *quomodo fiat hæc depositio*, nullum *modum* indicat: ita quæstione postrema, vbi quærit *in quo casu*, nullum *casum* indicat. Calumniam tamen nostram nescio quam diluit scilicet. Dum triplicem cautelam in Regis depositione ad hibendam ait: vnam, vt Rex merirus sit depositionem: aliam, vt executio fieri possit, tertiam, vt expediat fieri: hinc nimirum concludit falso ascribi Pontificijs, quasi doceant Pontificem pro arbitrio suo posse Reges deponere. Sed si tenentur subditi Regem deserere, quotiescunque Papæ videbitur eum deserendum esse: certè pro arbitrio, Papæ deserendus erit: illud

nisi fallor, docent Iesuitæ: ergo & hoc docent. vide, quæ initio huius capitis monui: item quæ ad hunc locum Bellarmino respondet Barclaius iunior capite duodecimo vindiciarum suarum.

Cap. 6.

Ad ea, quæ habet Auersarius contra Reuerendi Episcopi Eliensis Responsionem ad Apologiam Bellarmini.

PRima disputatione Aduersarius contra eos solum egerat, qui fatentur Papæ Romani per totam Ecclesiam Christi potestatem eandem esse, cum ea, quæ olim fuit Iudaici Pontificis sub vetere Testamento. Ita, cum Ecclesia Anglicana nullam huiusmodi potestatem Papæ Romani esse fateatur (quomodo enim fateretur, quæ nec vllam Papæ per totam Ecclesiam potestatem agnoscit?) certe hac disputatione, quæ sexaginta circiter paginas obtinet, pro controuersia Anglicana, quam initio promiserat, Vtopianam dedit. Similiter & disputatione secunda ludit operam: vbi contra Iuramentum Primatûs Regij in Ecclesia summatim quærit, non quid omnes de eo sentire debeant: sed id, quod parum, aut nihil ad rem attinet, quid tria hominum genera in Anglia de eo sentiant. Nec aliter & in tertia fallit titulo mendaci: vbi contra Iuramentum fidelitatis, quod neque ait, neque negat Regem posse à Papa excommunicari, ante omnia quærit, *An Pontifex possit Regem excommunicare, quid meritus sit.*

Assueti hactenus huiusmodi titulorum mendacijs

cijs (de alijs enim, quæ passim notata sunt, mitto nunc dicere) non aliud quarta hac disputatione expectamus: vbi illud tamen ante omnia non malè in titulo totius huius disputationis, vtcunq; vitioso, quòd magnificam; in frontispicio totius libri & in Dedicatoria ad Stortiam Epistola, ostentationem, quasi vel toto hoc libro, vel parte saltem maxima, Responsionem ad Apologiam Bellarmini *refutaturus* esset, falsam esse iam indicet: & pompæ causa propositam. Iam enim ex titulo capitis postremi, quod inscribitur, *de ijs, quæ in libro Episcopi Elienſis continentur*, intelligimus ea, quæ habet contra hunc librum, vnico tantum capite haberi, & eo postremo. Sed num hoc capite, quod ita inscribit vel omnia, vel pleraque, vel præcipua huius libri Episcopalis refutat, aut refutare saltem conatur? imoverò ne conatur quidem: tantum pro more suo mendacem titulum proponere voluit: etsi ipse mox eundem mendacij conuicturus, vbi ait p. 159, *aliqua strictim attingam*. Hoc scilicet huic homini librum *refutare*: & *de ijs* respondere *quæ in libro aliquo continentur*. *Ex his enim* (inquit) *de ceteris coniectura fieri poterit*. Ita non *refutat* librum, vt Cardinali Stortiæ promiserat, sed de eo *coniectat*. Et quomodo ex sola coniectura *constabit* (vt ait) & *facile constabit, nihil præter ineptias in eo libro, & quisquilias reperiri?*

Ergegia verò & expedita refutandi ratio, digna Sophistarum, digna Iesuitarum institutis, in qua neque candoris quicquam, neque æquitatis. Quid enim iniquius, quàm totum ideo reijci, quia in vngue, aut pilo, aut lacinia (vix enim vllam corporis particulam attingit hic aduersarius) occurrit dignum forte

aliquid quod reprehendatur? quanto illud æquius, *vbi plura nitent, non ego paucis offendor maculis?* quanto verò & acutiùs Augustinus contr: lit. Petiliani l. 2. c. 37, & rectiùs, ex eo quod aduersarius maleuolus ad multa nihil respondérat, colligit *Inuictè posita fuisse ea, contra quæ à tali nihil reperiri tutius potuerit quàm silentium?* De Becano hoc dictum quasi nominatim, qui ex septemdecim capitibus, quæ totidem Apologiæ Bellarminianæ capitibus apud Episcopum opponuntur, decem integra transilit: & ne verbo quidem vno salutat: nisi quòd alicubi ad vnum quendam locum de tergiuersatione Bellarmini, tribus verbis *non ita est*, negationem nudam p. 19, & ad alium locum, vbi egregiæ laudes Regis nostri celebrantur, nudum conuicium, de adulatione erga ipsum, & erga alios obtrectatione, opponat. Idem & in septem reliquis capitibus omittens ad libitum, vt quicque visum inaccessum calumniæ, nullo delectu rerum, nullo locorum ordine, saltat huc illuc & resultat more ranulæ.

Quæstio. 1ª. pag. 161. *An Primatus Regis probari possit ex veteri Testamento.*

Egit, vt potuit, de hac quæstione iam supra disputatione prima. Putares vel oblitum quid egerit, vel conscium quàm nihil egerit, perplexum iter omne reuoluere: & vel omnia refutare, vel aliqua, eorum quæ ad hanc quæstionem ex vetere Testamento disputamus, ne vnum quidem attingit. Tantum à mendaci titulo exorsus, ad impudentius mentiendum progreditur.

Ait (inquit Reuerendum nostrum Episcopum alloquens) *probari posse* (Regis Primatum in Ecclesiasticis)

siasticis) *ex illis verbis Mosis Num. 27. 16, Prouideat dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc &c.* Magnum figmentum, nusquam hoc ait, nunquam sic sensit. nedum pagina illa 92, quam notat Becanus: cui non solum notanda erat pagina, sed & verba, quibus ita in sequentibus niteretur, proferenda. Verba hæc sunt: *cum de præficiendo, loco suo, magistratu Deum compellaret Moses,* Prouideat, *inquit,* Dominus Deus *(non carnis, sed)* spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc: ne sit populus eius sicut oues sine pastore *A Deo spirituum præfecti, spirituum curam ad se pertinere sciunt. Populo Domini præfecti, curam gerent de populo ad Dominum deducendo. Ideo præfecti, ne populi sint sicut oues sine pastore, munus sibi pascendi commissum statuent: nec minus hoc Iosue statuet, quàm Eleazar: Galliones non erunt &c.* Nihil hîc de Primatu Regio, id est, de suprema cura spirituum: sed tantùm indefinitè de cura spirituum. Nam & hæc quoque quæstio momenti permagni: de qua multa contra Becanum hunc dixi, cum ei pro Tortura Torti responderem. Vbi & monui Bellarminum libro quinto de Pontifice, odiosissima principij petitione pro confesso sumere, quod in hac quæstione quæritur: & ita totam suam de Papa Regum depositore doctrinam super falsissimum & sine omni confirmatione positum fundamentum ædificare. Atque hæc (credo) causa fuit doctissimo Episcopo, cur hoc loco respondeus ad testimonium Nazianzeni, vnde Regum officium ad curam corporum & finem temporalem restringi videatur, nonnullam sibi in hac quæstione moram faciendam putaret. Ac primum p. 91

post expositа verba Nazianzeni, non de Imperatoris (vt vult Bellarminus) sed de præsidis prouinciæ officio: negat consequentiam argumenti Bellarminiani: quo de præstantia facultatis concludit ex obiecti præstantia: deinde vt antecedentem, qua asseritur præstantius esse obiectum Pontificiæ, quàm Regiæ potestatis, falsam esse docebat, addit & Regi spirituum curam commissam esse: nec vltra hinc aliquid concludit (vt impudenter mentitur Becanus) nec erat omnino (vt iam expositum) cur hoc loco quicquam de Primatu Regio concluderet.

Sed nec ita frigidè (vt fingit Becanus hac eadem p. 161.) ex verbis Mosaicis concludit, ad Regem pertinere curam spirituum. Tria in verbis Mosaicis, vt patet ex præmissa recitatione, notat ad hanc doctrinam: nec ex primo (quod solum agnoscit Becanus) seorsim, sed ex omnibus simul sumptis concludit. Atque hoc quidem secundum hoc loco peccatum Becani contra bonam fidem. Dum rationem Episcopi tripartitam duabus suis partibus mutilat. Tertium quod eam quoque partem, quàm agnoscit, non leuiter corrumpat. Quod enim ait Episcopus, *A Deo spirituum præfecti sciunt ad se pertinere curam spirituum*, perinde est, ac si dixisset, sciunt ex his verbis Mosaicis, vbi causam, cur par sit Deum populo Principem Politicum prouidere, hanc ipsam reddit Moses, quia ipse est Deus spirituum: vnde & significat ad Principem politicum pertinere curam spirituum: hæc enim ratio prorsus ita sonat, ac si dixisset, par esse eum qui sit Deus spirituum omnium hominum, id est, qui omnibus hominibus animas dedit, & curat, Principem Politicum populo prouidere:

qui

qui scilicet animarum populi curam gerat: nec solu[m], vt Reges Ethnici, corporum. Videmus enim passim in præfationibus precationum, rationem petitionis reddi: satis agnoscit Aduersarius hoc loco ita se rem habere: vt perinde sit, ac si Moses precationem suam exorsus fuisset his verbis, *Domine (nam tu Deus es spirituum omnium hominum)* &c. Sed hoc ipsum ex Seratio, cuius nomen supprimit, contendit, nihil, esse nisi, *Domine (nam tu es cordium & cogitationum inspector, & cognitor)* &c. Ex verbis similibus Num. 16. 22. aperte hoc probari putat: vbi dicitur *Domine spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet?* Sed non attendit, neque ipse neque auctor eius, Mosem his verbis ex eo argumentum misericordiæ petere, quod Deus nihil oderit eorum, quæ fecit: quorum & constantem per secula curam gerit. Ideoque & hoc loco illud, *Domine spirituum vniuersæ carnis*, commodissimè exponitur, vt ante exposuimus: vt ideo sic dicatur, quia cura ei spirituum omnium hominum: & quia spiritus, id est, animæ nostræ, eius donum sunt. Vt dicitur Malcaci 2. 15 *spiritus ipsius esse*. Nam & hoc modo dicitur *Deus pacis, Deus consolationis* &c. Nec extat (credo) pro altera expositione exemplum in sacris idiotismis: quin & nimis duriter sonat (nequid grauius dicam) vt Deus dicatur Deus cogitationum omnium hominum: sic enim sequeretur, quod sine horrore dici non potest: cum impiorum cogitationes impiæ sint.

Ita vndiquaque constat Episcopi nostri argumentatio: Becanus autem mendacijs & insultatoria confidentia odiosus. Mirum enim hoc loco quàm pu-

tidé in somnijs suis tripudiet pag. 162. & iterum prolixius p. 164, & 165: *nec ferre videt sua gaudia ventos. Hæc* (inquit) *est vis rationis: Deus, qui est inspector cordium & cogitationum designat Reges & principes: Ergo Reges & Principes habent Primatum Ecclesiæ. Itané verò?* Sic iste: quo nemo in sentiendo stupidior, in falsando audacior, in loquendo infantior. Etiam aliam pari iure atque aliam suo huic somnio similem argumentationem ad risum excitandum educit. Atque ita primum Regem Angliæ Primatum habere in Ecclesiam vniuersam: vt nihil mirum sit (sic facetus est in Regem potentissimum) quod Monitorias præfationes ad Imperatorem, & alios dirigat: deinde etiam cœli ac terræ curam ad eundem pertinere colligit. Vnde & pro epiphonemate nefarius scurra subijcit, hæc verba: *Nimirum magnus dominus, & laudabilis nimis:* quemadmodum & eodem hoc loco pagina superiore, verba Seruatoris, *Spiritus vbi vult spirat*, execranda profanatione ad risum detorquet. Nec contentus ad locum communem excurrit: quasi hoc moris nostri esset, huiusmodi argumenta ex scripturis formare: quod, vbi Dominum Tookerum paucijs mentitus fuisset, pleniùs probat ex libro nefando, cuius obscœnum nomen proferre non erubescit: ex quo quasi vnum de multis nostris argumentis in contumeliam verbi diuini recitat. Et tamen scelestus ille, οὐκ ὀνομαστὸς, ne ipse quidem eo impudentiæ deuênit, vt vllum eorum argumẽtorum, quæ recitat, aut vllam responsionum, à nostris vsurpatam affirmet: quin potiùs contrarium in præfatione significat. Tantum in religionis nostræ ac Serenissimi Regis contumeliam, scurriles quæstiones

pro-

proponit: & deinde respondens, verba sanctiſpiritûs horrenda audacia ad risum odioſiſſimum accommodat. Et hunc scilicet auctorem ἀθεώτατον (quem tamen etiam, vt dixi, mentitur) Becanus, ne forte non ei similis videatur, laudat: & nomine obscœno, quod vix quisquam pudicus proferat, concludit ea quæ habet ad primam quæstionem.

Quęstio 2ª p. 166. *Quã ãtiquus sit Primatus Regis.*

Hic quoque titulus vitioſus: tum quia non debuerat hæc quæstio à priore distingui: tum quia nihil in sequentibus affert ad hanc quæstionem, nisi quod ad argumentum Reue: Episcopi, quo ita disputat p. 22, *Moses exuto Sacerdotio Aaroni præfuit, ergo Moses auctor huius Primatûs*, respondet pag. 168, Mosem non vt principem secularem, ideoque vt Sacerdotem consecratſe eleazarem. Ne hoc quidem loco agnoscit, quod supra dixi ab ipso alibi vrgeri, Mosem gessiſſe quadruplicem personam, Principis secularis, Legiſlatoris, Pontificis, & Prophetæ. Certé enim si ita fuit, non potest non etſe ineptiſſima consequentia, quàm hoc loco gratis sibi concedi postulat: vt quod in consecratione Eleazaris, Moses non fecit quatenus Princeps secularis, illud necessariò fecerit tanquam sacerdos. Sed & altera hîc æquè grauis impudentia: quod dissimulet incommodum duorum simul summorum Pontificum: cuius incommodi eum Tortura Torti p. 318. iamdudum admonuerat.

Quæstio 3ª. pag. 168. *An sit articulus fidei de Primatu Regis.*

Hîc quoque ante omnia peccat titulo mendaci, ac primum quidẽ falsa imputatione, dum significat a nobis

à nobis affirmari, quod ab ipso negatur esse articulum fidei: deinde etiam falsa pollicitatione, dum alia hoc titulo promittens, nihil discutit, nisi vtrum Reu: Episcopus, qui p. 21 negat esse articulum fidei, atque adeo dicit, *Satis esse nobis, si hic Primatus vel extra fidem sit, modò inter dogmata Orthodoxa locum habeat*, hoc ipsum contradicat p. 25, cum ait, *Quomodo ergo Catholica non est, id est, ab initio semper credita?* vt hæc duo loca inter se committat, fingit priore loco dici, doctrinam de Primatu Regis esse *extra fidem Catholicam*: nec attendit particulæ *vel* in verbis illis Episcopi modo à me recitatis eam vim esse, vt potius significet, nobis hoc dogma nó esse extra doctrinã fidei. Nec rectè hoc loco Becanus, quasi ex Episcopi sententia, pro eodem, sumit, *non credi fide Catholica, & non esse articulum fidei Catholicæ.* Etsi enim in propria vi verborum nihil discriminis sit: vsum tamen loquendi quis nescit sic obtinere, vt multa fide Catholica credi dicamus, quorum tamen nihil in articulis fidei numeramus?

Quæstio 4ª pag. 170, *Cur solus Rex Angliæ vsurpet sibi hunc Primatum.*

Primum hîc quoque peccat, vt ante, titulo mendaci: nec id semel, sed iterum, & tertiò. Non enim fatemur (vt titulus quæstionis præ se fert) aut Regem nostrum *vsurpatorem* esse Primatûs in Ecclesia: aut eum ex Christianis Magistratibus solum exercere hunc Primatum. Sed nec tractat omnino quæstionem, quam præfixus titulus tractandam promittit, de causa, cur Rex noster, vel solus, vel præ alijs nonnullis Christianis Regibus, ius Primatûs in Ecclesia exerceat: ab ipso initio ad extremum aliam quæstionem perse-

persequitur: nimirum, vtrum dictum Episcopi, *reliqui nolunt vti suo iure*, contumelioſum ſit in Reges Christianos: & vtrum hoc, & alia quædam eius dicta adulatoria ſint erga Regem Iacobum. De crimine adulationis olim respondi. De altero crimine negamus id ipsum, quod pro confesso ſumit: *Omnes ignauos esse, qui non faciunt officium, quod iis iure diuino commissum est.* Ignauia enim culpa voluntatis honestum negotium auersantis: at sæpe huiusmodi omissio involuntaria: nempe vel ex ignorantia ſui iuris, vel ex falsa opinione iuris arbitrarij, vel ex necessitate temporum: sæpe etiam voluntaria, nec tamen culpa voluntatis honestum negotium auersantis, ſed (vt exemplum habemus in Dauide Ioabum homicidam tolerante) ex iusta consideratione minus opportuni temporis. Ita præter id quod ſolum responderi posse putat (pag 171.) *reliquos excusari posse hactenus per ignorantiam:* certè & aliud responderi potest: quod & in anticipatione calumniæ Becanianæ ab Episcopo ipso pag. 21 respondetur: cum ait, *videbitur, cum res ferret.* Nec ignominioſum (vt fingit Becanus) regibus vllis Christianis, ſi temporis culpa hãc partem ſui iuris non satis agnouerè hactenus: aut ſi ne nunc quidem agnoſcunt, nec eſt omnino (vt fingit) cur eos Iacobi Regis tanti Monitoris pœniteat: nec ſi opus hoc Monitore habuerunt (quemadmodum facile etiam fieri poterit, vt Rex noſter ipſorum quoque monitione opus habeat) ideo etiam dicendum, quod ſcurriliter hinc colligit Becanus p. 172, *Alios Reges magno interuallo infra Regem Angliæ abijci: vnum hunc ſapere, alios niſi ab hoc dirigantur deſipere: orbem Christianum non alunde, consiliorum ſuorum directorem habere.*

Nimis

Nimis crassè (inquit) *parasitum agit : poterat laudare Regem : sed citra aliorum iniuriam.* Respondeo *nimis crassè* calumniatorem *agit* Becanus, nimis hyperbolicè mendacem, qui tantos ex verruca montes facit. *Poterat* calumniari, poterat mentiri, sed probabiliter & κατὰ βόλον, οὐχ ὑπὲρ βόλον. Saltem non eandem calumniam nuda assertione, postquam in responsione ad Apologiam Bellarmini insigniter refutatam legerat pag. 70, quasi ex ore Bellarmini sine omni defensione iterum reposuisset.

Quæstio 5ª pag. 172 *Cur Carthusiani noluerint iurare in Primatum Henrici 8i.*

Titius mendax, non enim omnino hic disputat, vt promittit de causa cur Carthusiani noluerint iurare in primatum Henrici 8i, sed primum paginam vnam insumit in recitationes verborum Bellarmini & Episcopi nostri : deinde quasi admittens Monachos illos ob ignorantiam recusasse iuramentum, concludit id, quod nihil ad nos : ad Papistas autem plurimum attinet, crudeliter factum, quod indocti & ignari homines religionis causa mortis supplicio affecti sint. Tertio Mori & Roffensis exemplo probat, quod itidē nihil ad nos, nō ōnes, qui sub Hērico mortem in hac causa passi sunt, indoctos aut ignaros fuisse. Quartò exagitat, quod ait Episcopus, *Clerum totum, & tot viros in regno primarios, non nouitatem sed antiquitatem* in dogmate de Regis Primatu *agnouisse.* Attonitus scilicet absurditate dicti, *quid audio ?* (inquit p 175) *Clerum totum ? at non Roffensis.* Inepte, quod clerum totum dixit, totum dixit repræsentatiuum in synodo: cui tamen etiam Roffensem subscripsisse ait : & res certissima est. Pergit nugator, *Tot* (inquit)

quit) *viros in regno primarios? at non regni cancellarius: plus dicam non septuaginta & amplius.* Et quisquam reperitur vsquam hoc fatuo magis fatuus? quid enim tam admirabile, si in *tot illis primarijs* nec *cancellarius regni* fuit, nec Sanderiani illi *septuaginta & amplius?* Sed tandem claua Herculea in nos irruit. *Si Academiæ*, (inquit) *totus clerus &c. agnouerunt Primotum Regium, obsecro, a quo edocti sunt? Nam nondum Iacobus Rex facem præferebat* &c. Hæc sunt eius, qui ad argenteos Hesiodi homines relegandus sit, qui ne centenarius quidem excedet è puerilibus, semper μέχρι νήπιος. Auget iam hyperbolicum, quod dixi, mendacium paginæ 172: quasi non solum dixissemus Reges exteros, ante auditum clangorem Monitionis Iacobi Regis: sed etiam Academias, clerum, Episcopos Angliæ, nihil vnquam ante de his rebus intellexisse. Hoc posito virum, qui semper apud se, iubet *se colligere & videre quid dixerit.* Alij nimirum se colligant & viderint qnid dixerint, quid dicant: nihil hæc ad Becanum.

Quæstio 6ª pag. 176 *An Rex Angliæ dici possit Defensor & Propagator catholicæ fidei.*

Ad hanc quæstionem primò sic disputat pag. 177. *Rex in Apologia iuramenti duo potissimum punctа complexus est: priori contendit, in iuramento fidelitatis solam eiusdem obœdientiam exigi a subditis: Posteriori Reges & principes seculares habere Primatum. Prius, cum ante paucos annos inauditum sit, necesse est esse extra catholicam fidem: de posteriore fatetur Episcopus Elienſis extra fidem catholicam esse.*

Ergo falsum est, quod ab eodem Elienſi in Resp. ad Apol.

Apol. Bell. pag. 25 dicitur, Regem Apologiâ iuramenti propagasse fidem catholicam.

Non sequitur : quia *duo perfectum complecti*, non est idem quod *duo tantum complecti*. Sed & fingit de confessione Episcopi, vt iam supra docui: fingit etiam de summa Apologiæ Regiæ ; vbi præ disputatione de sententia iuramenti fidelitatis, potior & operosior disputatio de ciuili obœdientia Regibus vel invito quocunque mortali, debita : quæ certè disputatio ad doctrinam fidei catholicæ directè pertinet. Deinde pag. 179 sic disputat

Vt Episcopus Elyensis titulum Defensoris fidei a Leone decimo collatum Henrico 8°, serio & recte comparauerit Caiphæ vaticinio de Christo, & titulo, quem Pilatus Christo inscripsit, oportet etiam dicat, Christum gessisse typum Regis Iacobi : & Caipham & Pilatum Leonis decimi : tum & Leonem de Rege Iacobo vaticinatum fuisse : atq; adeo titulum illum Henrico 8° contulisse, quà Pontifex fuit :

At his positis multa contra ipsum incommoda sequentur : nempe Pontificem habere & Caiphæ ecclesiasticam, & Pilati Politicam potestatem : item Leonem, cum aliquid fecerit quà Pontifex, verè Pontificem fuisse.

Ergo vel non rectè, vel suæ sententiæ incommodo hanc comparationem instituit.

Respondeo priorem partem in confirmatione Minoris, atque adeo ex quatuor partibus Maioris singulas rectè negari : quia similitudines (vt ante dixi) non sunt producendæ ad longinquas consequentias. Quod & ad quartam partem Maioris (de ceteris enim res per se manifesta est) opportunè pertinere, hinc intelligi

intelligi poterit : quia constat comparatio, etsi Leo hoc non fecerit quatenus Pontifex, sed quatenus quocunque modo primus & sacer in Ecclesia. Nam & thuribula seditiosorum, Korachi & sociorum eius, Numer. 17. 2. *sancta* dicuntur, etsi nefariè consecrata: vtque hæreticus, atque etiam degradatus Episcopus ordinandi potestatem non amittit, etsi eam exercendo ipse peccet : ita & Papæ, vt personæ aliquo modo sacræ, aliquid tribui potest sine ipsius Papatus approbatione.

Postremò ad hanc quæstionem, vel potiùs sub titulo huius quæstionis, per duas paginas recitat verba quædam Episcopi: quorum alia de Rege Iacobo, alia de auctoribus Pontificijs; Et hæc quidem conuicia, illa assentationes esse credi sibi postulat nudè asserenti : sed nudis aduersarij assertionibus etiam cum veritas dubia est (quæ hîc tamen nisi fallor, clara est a nobis) simplex verbum *nego*, (vt Homericè loquar) πελεκὺς ὡς ἐστὶν ἀτειρής. Et mira sanè cōuicia, vel quòd dixerit Baronium in historia ecclesiastica *meritum esse spongiam* : canonistas *cardinalium parasitos esse* : & de alijs eos *non habere ius testiū*: vel quòd Sanderum, qno nemo scelerosior, & alios huius similes, etiam asperiùs appellauerit. Est aliquid fel inter & ter acetum : est & inter assentationem, & officiosam, veram, necessariam laudationem.

Quæstio 7ª pag. 182, *An Rex Angliæ nulla ex parte sit inferior Pontifice.*

Primum (inquit) *argumentum Belli, oues sunt inferiores suo pastore* &c. & paulò post, *Hic* (inquit) *tu aliter elabi non potes, nisi negando Regem Angliæ esse ouem Petri : & Pontificem esse successorem Petri : quod quàm absurdum*

ſurdum ſit, partim ſequenti, partim decima quæſtione demonſtrandum eſt. Nihil in hac reſponſione abſurdi eſſe, vbi ad quæſtiones illas venerimus apparebit. Interim notandum falſationem eſſe, & eam in reſponſionis fundamento, quod ait *aliter elabi non potes.* Præter enim duas illas exceptiones contra argumentum iſtud Bell^i, habentur eodem loco apud Epiſcopum pag. 74, & aliæ tres: quas Becanus non modo ſupprimit, quod malæ fidei eſt: ſed etiam nullas eſſe aſſerit, quod mendacitatis eſt. Vna harum trium a teſtimonijs Ambroſij & Auguſtini: qui quod dictum eſt Petro *Paſce*, & omnibus Epiſcopis dictum intelligunt. Altera ab exemplo gubernatoris nautici & viæ ducis: vnde colligitur, non ſequi argumentum, *quia Paſtor, ideo ſuperior.* Tertia ab eo quod pari iure in Papam retorqueri hoc argumentum poſſit: cum & Imperatores diu ipſis Pontificibus paſtores fuerint.

Pergit Becanus pag. 183: *Alterum* (inquit) *Bell^i argumentum, Pontifex habet plura regna ſibi ſubiecta in ſpiritualibus, quam Rex Angliæ in temporalibus* &c. Primum hîc Epiſcopus pag. 79 ne impune ſit Bell^o, quòd hoc loco contemptus & contumeliæ plena de Rege noſtro, regnisque potentiſſimis ſcribat, ampullas de Papa Regum gubernatore exagitat: quem locum Becanus tribus verbis, *multa otiosè garrit*, refutat egregiè ſcilicet: quaſi verò vincere hoſtem poſſet gloriosè fugiendo. Nec felicius mox ad ea, quibus noſter deinceps gloriationem Bellarmini, de principibus per legatos ſuos obœdientiam Paulo quinto profitentibus, eludit: Homo ineptus *comœdos* putat eſſe, non principes, niſi omnia ſua ad ſtoicam rationem

nem

nem exigant : & nisi nihil, quod non penitus cum aliis suis cogitationibus consentiat, a legatis suis suo nomine, ceremoniæ causa fieri prmittant. Sed & idem, dum addit, *Si Calumniæ essent, tibi crederem*, certè in crimen ipsum, quod reprehendit, incurrit. Quasi, quod in Principes profitentes religionem Papisticam a nostro dici ægrè patitur, idem in Principes, qui nobiscum sentirent, ab ipso rectè dici posset. Nec verò, cum in Monitoria Regia dicitur, Regem Iacobum *nulla ex parte inferiorem Papa Romano*, aliud his verbis intelligendum, quàm, prout initio exposui ex Anglicano, nulla cum ex parte quoad personæ dignitatem a Papa Romano superari : itaque, vt supra Becanum merito reprehendi, quod de inferiore quoad Antiquitatem, & ornamenta, & alios quosdam *titulos*, qui nihil facerent ad personæ dignitatem, multis ageret : ita & Bellarminum hoc loco iustissimè (non autem vt vult Becanus pag. 195 *contra communem hominum sensum*) reprehendit rev: Episcopus : quod cum de inferiore quoad personæ dignitatem agendum esset, numerari postulet Reges & Resp quæ Regi Iacobo obœdientiam solenni ritu ita præstent, quomodo a multis Regibus & Rebuspub. Paulo quinto præstatur. Non enim (credo) dixerit Cæsarem quoad dignitatem personæ inferiorem Turca : vtcunque Turca plures & potentiores Reges & Resp. sibi subiectas numeret : itaque cum neque numero neque potentia subditorum regiæ personæ dignitas metienda sit, certè ad nostram hanc quæstionem nihil attinet, neque Bellarminianum illud, *numeret Reges & Resp.* &c. neque Becaniana illa, *qui potentior sit, cum aliqua parte, id est potentia, superio-*

rem esse: & Regem Papa Romano aliqua parte inferiorem esse, quia Papa plures ac potentiores subditos habet.

Nec contra nos (vt hoc loco somniat Becanus p. 18) retorqueri potest quod addit Episcopus, de quibusdam Regis nostri maioribus Papam superiorem agnoscentibus, *tunc fuisse horam & potestatem tenebrarum.* Nimis misere hic nugatur Becanus; Nam & aliam Responsionem, quæ apud Episcopum adhibetur, dissimulat: nec suis (credo) probabit, quod ad ea quæ proferimus Regum nostrorum exempla, qui temporibus Papistini vbiq; regnantis Papæ tamen se opposuerunt, *Optimè dici posse* ait, *tunc fuisse horam nostram, & potestatem tenebrarum.* Ne illud quidem probabit cuiquam non ineptum esse, quòd quasi aliquid contra nos retorquens, qui ex nostrorum temporum confessione nihil contra Papistas vrgemus, vociferetur nunc esse horam nostram: vnde & in tempora ista Regis omnium clementissimi odiosè inuehitur.

Quæstio 8ª pag. 189 *Virum Rex Angliæ sit ouis Petri*

Ad hanc quæstionem sic disputat

Petrus Pastor fuit, non mercenarius: vt docet August. tr. 64 in Ioh.

At seruator Ioh. 10 Pastorem vocat, cuius oues propriæ sunt: ergo Petrus habuit oues proprias.

Nihil mirum, quòd non concludat id, quod quærendum proposuit. Quod enim proposuit quærendum, de eo nullum nostrum a suis dissensum agnoscit. Sed neque concludit id, quod reuera hoc loco quæritur: *Virum Rex noster agnoscere debeat se esse ouem Petri, aut successorum Petri, si modò se Christi ouem agnoscat.*

agnoscat. quàm parum enim ad hanc conclusionem id, quod vnum hîc contendit, *Petrum habuisse oues proprias?* Ita & otiosa opera peccat, & titulo non semel mendaci. Sed & præterea falsâ consequentiâ: Ad hoc enim vt omni pastori sint oues propriæ, non satis est, quòd Christus pastorem vocat, cuius sunt oues propriæ: nisi & vltra dixisset, neminem esse pastorem, cuius non sunt oues propriæ: At hoc Christus nusquam dicit. loquitur enim Ioh. 10 περὶ τοῦ ποιμένος τοῦ καλοῦ, de Pastore illo bono: puta qui venturus erat, quem prophetæ prædixerunt, qui verè sit omnium pastorum ἀρχιποιμήν. Quicunque (inquit puta pro talibus se venditantes) ante me venerunt, fures sunt, & latrones. nec alio sensu ait versu 3, pastorem verum, puta magnum illum ἀρχιποιμένα oues proprias habere, & v. 12 τὸν μισθωτὸν, mercenarium illum, id est Antichristum, non habere oues proprias. Ita non (vt fingit Becanus) inter quemcunque verum pastorem & mercenarium, sed inter Magnum pastorem, & Antichristum, differentiam hanc ponit seruator: quòd oues illius, non huius propriæ sint. Quod enim ait versu secundo, ὁ δὲ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας ποιμήν ἐστι τῶν προβάτων non ita accipiendum ac si dixisset, quicunque per ostium ingreditur, eum pastorem esse: sed vt nihil aliud velit, nisi Magnum illum pastorem per ostium ingredi: patet hoc ex versu 6°: vbi & oues dicuntur *per ostium ingredi*. Ineptum ergo & futile, quòd Becanus pagina. 191. quasi ex demonstrato, concludit: Episcopum nostrum ex sua doctrina pastorem non esse, cum oues pascat non suas sed Christi: negamus enim, neminem Pastorem esse nisi qui oues habeat proprias. Postremo & illud Be-

cano, id est nugatore, dignum, quod cum eo rem deducat, vt oues & Christi propriæ sint, & Petri propriæ, tamen ne verbo quidem explicare conatur, quomodo hoc esse possit: quod vt verè negat a nobis in Anglia intelligi, (vnde odiosè ad conuicia in reuerendissimos nostros Episcopos excurrit) ita nec ab ipso, credo, aut a quoquam intelligitur. Vicarium enim ius non facit, vt quæ Domini propria sunt etiam vicarij propria sint: nec opinor quisquam dixerit regnum esse proprium Proregis. Et, si cum Pererio in Io. 10 disp. 12 dixerit, *per affectum & communicationem charitatis* fieri, vt oues Christi etiam Ministrorum Christi sint: certè hoc modo etiam laici oues proprias & eas tot habebunt, quot ipse Christus.

Quæstio 9 pag. 192 *An Rex Angliæ sit feudum Pontificis.*

Ita esse contendit Bellus, ex literis Henrici nostri secundi ad Alexandrum tertium, & ex facto Regis Iohannis, & ex testimonio Polydori Virgilij & aliorum. Quæ de his rebus respondet Episcopus, ea Becanus hoc loco multipliciter accusat: summam accusationum colligit p. 206, *concludo* (inquit) *hæc esse tua mendacia.* Primum, *quòd Henricus Rex a Pontifice plagas in carne passus sit* (de hac re respondi nuper cudæmonioanni tract. 1. c. 4 ¶ 2) *Secundum, quòd eam ob causam voluerit Pontificem delinire.* At hoc Becani mendacium: Episcopus illud de plagis non commemorat, vt causam, cur Papam delenire voluerit, sed vt signum obnoxij Papæ Romano, & quouis modo cupientis eum ad suas partes domi forisque afflictas perducere. Nec simpliciter negat Episcopus huic Henrico *ius testis*, vt recitat Becanus: sed *hic*, id est

hoc

hoc casu, cũ simul bello Gallico, simul ciuili filiorũ seditione pressus, & (vt Becanus fatetur) *in necessitate positus*, de regnis & Principatibus amplissimis, ab ipso primum iure materno post longum bellum possessis, nec dum benè fundatis, grauiter pertimesceret: & eo etiam grauius, quòd Papam Alexandrum, qui Friderici primi potentissimi Imperatoris ceruicibus pedem impossuerat, non leuiter ob cædem Cantuariensis Archiepiscopi, offenderat. Nec tamen mendacem dicimus (vt vrget Becanus) sed hyperbolicè more supplicum locutum. Alioqui, vel ipso hoc Henrico in hac causa teste vtimur: qui aliàs metu & periculo liberior, Londinensi Archiepiscopo apud Houedenum rescribit: se *sacris iussionibus non alias obtemperaturum, nisi salua sibi suaq; regni q; dignitate.* Adiungimus & Guilielmi conquæstoris, aui materni huius Henrici literas ad Gregorium septimum, quas agnoscit Baronius ad annum 1070 nu. 25. *Hubertus* (inquit) *legatus tuus ex parte tua me admonuit, quatenus tibi & successoribus tuis fidelitatem facerem, & de pecunia, quam Antecessores mei ad Romanam ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem: vnum admisi: alterũ non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec volo, quia nec Antecessores mei Antecessoribus tuis id fecisse comperiuntur.* Adjicimus & factum huic Regis responso consonum, quod agnoscit Gregorius ipse lib. 9. ep. 1. vbi non quidem remittit pecuniam, sed tamen legatum culpat, quod cum pecuniam cum honore popposcerat, illam sine hoc acceperit. *Pecunias* (inquit) *sine honore tributas, quanti pretij habeam, tu ipse dudum potuisti perpendere:* Sed & ex ipsis verbis resignationis Regis Iohannis, quæ ita prolixè ex Matthæo Paris

apud Becanum recitantur, concludimus falsum esse, quòd de quocunque tempore ante hunc Iohannem dicitur, regnum Angliæ feudatarium fuisse Romano. Cur enim in tota diplomatis formula, nevnum quidem verbum de pristino iure Pontificis? aut si etiam tempore patris huius Iohannis agnitum fuit hoc ius Romani Episcopi, quomodo dicit, *conferimus & liberè concedimus*, potius quàm restituimus, & confirmamus? quomodo hoc a se fieri, *vt se & regna sua humiliet*; & *pro remissione peccatorum*? hæc certè verba minimè conuenirent, nisi nouo aliquo iure Pontificem auxisset. Ita quod quærit Becanus *quo teste* contra hunc Henricum nitamur, respondemus, & ipso teste, & auo eius Guilielmo, & Iohanne filio.

Pergit Becanus: *Tertium* (inquit) *mendacium, quòd Iohannes Rex vi & metu fecerit, quod fecit.* Et quis hoc ante Becanum non dico in mendacijs, sed in rebus, de quibus dubitari debeat, numerare ausus? Res ipsa clarissima est. Et Matthæus ille Paris, cuius vnico Testimonio rem confectam putat Becanus, diserte attestatur. *His* (inquit) *& consimilibus causis in desperationem prolapsus, persuasionibus Pandulphi acquieuit: & subscriptam pacis formam non sine dolore concessit.* Hæc Matthæus: & deinde in *forma* illa *subscripta, Inprimis* (inquit Rex Iohannes) *solenniter & absolutè iurauimus, stare mandatis domini Papæ, coram eius Legato, aut nuntio, super omnibus, pro quibus excommunicati sumus ab ipso.* Hæc Iohannes: vnde cum *iterum conuenirent: idem Rex* (inquit Matthæus) *iuxta quod Romæ fuerat sententiatum, resignauit coronam suam &c.* Becanus pro sua fide Iesuitica, vbi hunc poste-

posteriorem locum recitat, omittit verba illa, *iuxta quod Romæ fuerat sententiatum*: ne scilicet vi prioris conuentionis, qua se Iohannes Papæ arbitrio *desperabundus* commisit, hanc resignationem coronæ factam putemus. Nam quod in forma ipsa resignationis dicitur, *non vi, nec timore coacti*, verba planè formalia sunt: ideo apponenda, etsi falsissima, quia resignatio aliàs ipso iure nulla. Quemadmodum & illa *communi consilio Baronum nostrorum*. Ex quibus tamen Becanus & *quantum* in verbis Episcopi mendacium detegi putat: quòd dicat *à procerибus, clero, & vniuersitate regni reclamatum fuisse*. Nec tamen testimonijs certissimis, quæ apud Episcopum citantur, quicquam respondet, nisi primò quidem consensisse, post autem serò à quibusdam reclamatum fuisse. Sed Episcopus docet ab initio reclamatum fuisse: primum in Tortura Torti p. 216 (ad hunc enim locum hic in responsione ad Apologiam Bell. nos remittit) ex verbis Matthæi Parisiensis *Semper clam & palam reclamante, cum profundis suspirijs Stephano Cantuariensi*. Deinde hac ipsa responsione, ex Iohannis literis ad Innocentium: vbi ait comites & Barones suos, *ex tunc* (id est ex ipso tempore resignationis) & specialiter hac ipsa de causa detectionem fecisse.

Quantum (inquit) *mendacium, quod Polydorus sine auctore sit locutus*. Quod ait, *non credimus sine auctore loquenti* de regno Angliæ ante Regem Iohannem facto vectigali Pontificibus Romanis, non ita intelligendum, ac si oblitus fuisset eius, quod paucis ante lineis dixerat, *Et alios ante eum hoc scripsisse*: sed vt nihil sit, nisi eum nullum auctorem proferre, vnde scire possemus, vtrum auctorem fide dignum ali-

quem habuerit. Sic enim vulgo dicimus, qui neminem auctorem nominat, eum, etsi aliquem habuerit auctorem, tamen *sine auctore loqui*. Sed & addit prò Polydorò p. 205: quàm autem pueriliter? *Audi* (inquit) *Lancellotte: Si hæc respondendi ratio, quam tu hic sequeris, semel admittatur, nihil deinceps per testes probari poterit. Nam si vel mille adduxeris, in promptu erit dicere, quod tu dicis: Nouitij sunt: nugatores sunt.* Audi Martine, quod à pueris in schola exhausto argumento laborantibus regerere didicisti, infeliciter hìc adhibes. Fidem enim de tributo, et vectigali Polydoro derogat, non nudis illis vocibus, sed certissimo testimonio Sancti Eduardi Regis, qui vixit ante annos plus minus sexcentos, & illos Petri denarios *Regis Eleemosynam* vocat, lege sua decima. Tum & cur quæstor Pontificius Polydorus honorificentiùs de his denarijs loqueretur, rationem reddit: & ipsum sibi contradicere docet, dum *pietatis & religionis causa*, collatos ait. Similiter & de Hibernia, quod fidei eius derogat, non facit nudis verbis, sed argumentis.

Vbi autem dicemus Becanum oculos suos seposuisse: quòd ad accusationem, quam hactenus excussimus, non nisi *vnum* (vt ait) *videar obyci posse: quod boni auctores scribant facto Regis Iohannis reclamatum fuisse a Baronibus?* Si ignoscimus, quòd de quatuor reliquis accusationis partibus nihil eorum viderit, quæ à nobis reposita sunt: At de hoc ipso non ignoscimus. Expressè enim apud Episcopum, eo ipso loco quem carpit, recensentur, & numero ponuntur exceptiones aliæ quamplurimæ: quas in Tortura Torti latiùs exposuerat. Tres tantum recitabo. Vna est, quòd neque Homagium, neque Marcarum illa-

illarum annua solutio ab vllo Iohannis Regis successore vnquàm præstita Pontifici fuerit: altera, quòd ex vi clausulæ in ipso Diplomate, *Salvis nobis & hæredibus nostris iustitijs, libertatibus, & regalibus nostris*, tota donatio ipso iure in nihilum recidat. Tertia, quòd anno sequente (vt ex Eulogij auctore citatur) *Obligatio ista, quàm Rex Domino Papæ fecerat, per præceptum ipsius Papæ in Parlamento Londinensi omnino relaxata fuerit.* Sed hæc & similia Becanus, quæ *vidit*, videre noluit.

Quæstio 10. pag. 208. *An Ecclesia habeat ius aliquod in excommunicatos.*

Hæreticos Bellarminus Apologiæ cap. 5 (ne Regem nostrum, quem habet pro hæretico, eundem extra caulam & ditionem Pontificis constituere videretur) affirmat, tantum in fauorabilibus, non autem etiam in pœnalibus extra caulam Pontificis esse: Tum & Ethnicos principes, si vel terras Christianorum vi occupauerint, vel subditos fideles à fide auertere satagant, sub Papæ potestate esse: & dominio quod habent super fideles ab Ecclesia priuari posse ex Aquinate contendit. Ad hæc noster p. 76. primo hæretici & Iuliani omen detestatus, ex verbis Christi, *sit sicut Ethnicus*, docet censuræ Ecclesiasticæ vim non vltra se porrigere, quàm, vt qui Ecclesiam non audit (quo in genere imprimis hæretici censentur) *sit sicut Ethnicus*, vnde, cum Ethnici foris sint, & iuxta Apostolum 1. Cor. 5, 12 Ecclesiæ non sit de ijs qui foris sunt *iudicare*, ad extremum concludit, nec de ijs, qui Ecclesiæ sicut Ethnici sunt, vltra statui ab Ecclesia posse iudicialiter: ideoque nec in pœnalibus hæreticos semper Ecclesiæ subesse. Post hæc &

de

de doctrina Thomæ ſubijcit luculentam reſponſionem: Sed eam Becanus totam prætermit. Ad priora hac quæſtione decima p. 209 reſpondet, Apoſtolum per eos qui *foris* ſunt gentiles intelligere: & de ijs quidem fatetur Eccleſiam non iudicare: excommunicatos autem loco illo Apoſtoli non intelligi foris eſſe: vt qui per fidem & baptiſmum intus ſint. Hæc ſumma: vbi primum quod Epiſcopus non modò fatetur, ſed pro ſe vrget, Apoſtolum Ethnicos intelligere per eos qui foris ſunt, id ipſum ab eo *contra mentem Apoſtoli* negari ſupponit. Nec omnino capit vim rationis apud Epiſcopum: qui (vt expoſui) non ex vnico loco ad Corinthios diſputat: ſed ex collatione huius loci cum illo Matthæi 18, *ſit tibi ſicut Ethnicus*. Ex loco ad Corinthios nihil colligit, niſi, quod Becanus diſerte fatetur, Eccleſiam non iudicare pœnaliter de Ethnicis: vnde, cum ex loco Matthæi pateat Eccleſiam contra hæreticos nihil vltra poſſe, quàm vt eos habeat *ſicut Ethnicos*, concludit, eam, poſtquam huc vſque progreſſa eſt contra hæreticos, non poſſe vltra de ijs pœnaliter iudicare: ideoque tales in pœnalibus non ſemper pertinere ad caulam Pontificis. Sed & vltra peccat hoc loco aduerſarius. Apud Bellarminum enim, & apud Epiſcopum, de ſolis hæreticis agitur: at hic quæſtionem mouet de eius modi excommunicatis, qui *per fidem intus* ſint in Eccleſia. Tum & capite ſecundo excommunicationem exilio comparat: & ſæpe hanc cenſuram vocat eiectionem ex Eccleſia: hîc autem abſolutè & expreſſè excommunicatos intus eſſe pronuntiat, quos tamen mox aliquo modo foris eſſe fatetur. Poſtremo cum Bellarminus hoc ipſo loco ex Thoma

ma contendat, infideles principes, in certis casibus priuari posse dominio, quod habent super fideles, Becanus non modò negligit(vt dixi) hoc defendere contra Episcopi responsionem : sed etiam hoc ipso in loco contradicit clarè : atque adeo contrariam assertionem pro fundamento suæ ad cetera responsionis substernit *De Gentilibus* (inquit) *qui foris sunt, non iudicat Ecclesia : de Christianis qui intus sunt omnino iudicat, etiamsi excommunicati sint.*

Quæ te terra Becane, *aut quæ nunc æquora possunt,*
Accipere ? aut quodnam misero tibi deniq; restat:
Cui nec apud Gallos vsquam locus, & super ipsi
Romulidæ infensi?

Quæstio 11. pag. 211. *An fuerit aliquis successor Petri.*

Iterum in titulo falsa significatio de nostra sententia : quam & statim fallat verbis apertis. *Negare* (inquit) *ausus est fuisse aliquem Petri successorem.* Etiam æquè impudente fallatione addit eundem dicere, hoc a Rege negari. Vtrunque falso imputari testantur verba, quæ pro confirmatione vtriusque mendacij sui recitat ex libro Episcopi pag. 74: vbi tantum dicitur, Regem *non credere successorem Petri vllum, vel in Apostolatu, vel in Apostolica potestate :* atque adeo *Romanum Pontificem neutro modo Petri successorem esse.* Hic quod dicitur *neutro modo*, fallator exponit *nullo modo*. Atque ita quasi contra Episcopum nostrum ex auctoribus Ecclesiasticis probat, Papam Romanum quoad Cathedram Episcopalem Petro succedere : quod noster hoc eodem loco admitti posse concedit. Nam quod Hieronymus Epistol. 8 ad Demetriadem, Innocentium vocat successorem Apostolicæ

postolicæ Cathedræ, exponendum ex eo quod recitat ex Epist: 57 ad Damasum, vt tantum dixerit successorem Cathedræ Apostoli Petri. Bernardus quidem, vtpote recentioris seculi doctor, non paulò profusior temporis vitio, non suo, cuius pietati æquũ est nævos suos condonari: Sed & commodè exponi possunt, quæ vel ex eo vrget. Quod enim ait Eugenium *hæredem esse Apostolorum*: & de omnibus Episcopis, præsertim de Metropolitanis, dici potest: etiam eundem *potestate* (puta non Apostolica, sed Episcopali) *Petrum* dici, nihil incommodi habet. Tandem Aduersarius tertia falsatione claudit hunc locum p. 214: vbi ait nostros *disertè fateri de Pontificibus Romanis qui primis quadringentis annis vixerunt, quòd Petro in regimine Ecclesiæ successerint.* Vnum saltem nostrorum hominum protulisset sic fatentem. *Regimen* enim *Ecclesiæ* intelligit vniuersalis Ecclesiæ: &, vt statim exponit, *potestatem Apostolicam*. Sed & aliud hoc loco non leuius malæ fidei peccatum: quòd, cum probandum esset Pontificem Romanum, vt nunc de religione sentit, Petri successorem esse quoad doctrinam, id est, non solum ex Petri Cathedra doctrinam, sed & Petri doctrinam tradere, de hac quidem re, ne verbum quidem vllum habeat: in qua tamen Reus: Episcopus exceptionis suæ vim à se poni profitetur: alioquin enim & *morbum sanitati* succedere. Non debuit Becanus hoc ita facile præterire Ei enim, qui ita Petro succedat, quomodo competit ius Petri, cum Bellarminus de Pontif. l. 2 c. 30. doceat, *Papam si manifestus hæreticus sit, per se desinere esse Papam & caput Ecclesiæ*: atque adeo *ipso facto carere omni iurisdictione & dignitate Ecclesiastica:*

astica? Ex quo sanè sequitur, ad hoc, vt Papa sit successor Petri quoad potestatem, necessariò requiri, vt sit Petri successor quoad doctrinam.

Quæstio 12ª pag. 214 *Quàm antiqui sint cardinales.*

Magnum in titulo mendacium: nihil hîc ad hanc quæstionem disputat: tantum post recitata quædam ex Bellarmini Apologia, & alia ex Responsione ad hanc Apologiam, quod reliquum est chartulæ in mimicam lasciuiam impendit. Distinxerat Cardinalis antiquitatem cardinalium, aliam quatenus Episcopi, presbyteri, aut Diaconi sunt, aliam quatenus electores sunt & consiliarij Pontificis, aliam quatenus pauci sunt: Ineptiam huius distinctionis ostendit Episcopus pag. 97 in exemplis similibus. Sic enim dici posse, & in lege Mosaica institutos: vbi in distinctione sacerdotum & Leuitarum adumbrati ordines presbyterorum & diaconorum: etiam altiùs hac ratione & ab ipsa mundi origine repeti posse aliquam cardinalium antiquitatem. Nec tamen (vt fingit Becanus) ait matrem Samuelis de cardinalibus prophetasse. Tantum ait *non defuisse* (puta inter Pontificios) qui sic voluere: cum verba 1 Sam 2. 8 *Domini sunt cardines terræ*, ad Pontificios cardinales arripuere: vbi & verè addit & grauiter, super his cardinibus moueri terram, quæ debuit quiescere. Sed cum imitari voluit hanc acrimoniam Simius Moguntinus, vidit ingeniolum suum nihil posse, nisi ante omnia substernat suo more mendacium. Itaque quasi verbis Rdi Episcopi ait, *Anna mater Samuelis de cardinalibus prophetauit illis verbis: Domini sunt cardines terræ & posuit super eos orbem*: hoc posito, non solum ad Prophetias

phetias de Episcopo Eliensi in Martiali exquirendas excurrit: vbi in Æliæ dentes tussiendo amissos incidit: sed & homo profanus Samuelis verba, de peccato Pontificis Eli, detorquet ad nostrũ Eliẽsem. Ad vtrũq; ex verbis Regis serenissim: (cuius verba ad mensam nõnunquã & ignotis audire licet, & mihi casu hoc accidit) respondeo, infeliciter & de dentibus amissis, & de peccato patris in filios nimis indulgentis, ludere nugatorem in eum, qui nec sobolem vnquam habuit, castum cœlibatum semper colens: nec vel dolorem dentium, nedum amissionem (ea est in victu abstinentia) vnquam sensit. Addo, quod nescijsse videtur Becanus, si in posterum ex arte vti ioco voluerit, λυτέον τὴν μὲν σπουδὴν γέλωτι, τὸν δὲ γέλωτα σπουδῇ

Quæstio 13ª pag. 218 *An Episcopus ex institutione Christi maior sit Presbytero*

Hic quoque ex verbis Regis acutissimi respondeo, quod Becanus p. 219 recitat, quasi Rex in sua Monitoria dixisset *se Politici duntaxat ordinis causa in Episcoporum & ecclesiasticæ Hierarchiæ defensionẽ semper incubuisse*: si quidem ita dixisset, *Politicum ordinem a Deo institutum* intelligendum: Atque ita (quicquid hic infimulat Becanus) neq; sibi, vbi alibi *Episcoporum institutionem Apostolicam & proinde diuinam* vocat: neque Eliensi nostro contradicit: qui cardinali ad locum de incremento cardinalitiæ dignitatis & de presbyteris cardinalibus supra Episcopos non Cardinales euectis, respondens, ex sua, & ex Regis, & ex concilij Chalcedonensis, sententia ait, *Episcopum ex Christi institutione maiorem esse presbytero.* Sed neque ait Rex se *Politici duntaxat ordinis causa in Episcoporum & Hierarchiæ ecclesiasticæ defensionẽ incubuisse:*

incubuisse: Duo enim illa verba, *Politici, & dumtaxat*, quibus solis innititur Becanus, a translatore addita, in Anglicano nusquam apparent. At Caluino (inquit) ambo contradicunt, & Episcopus Elienſis Caluinianus. Quàm friget hîc Iesuita, præsertim vbi, vt doceat Caluinianum esse, dogmata quædam Caluini, & in ijs aliquid Lutheranis oppositũ ab eo obtineri ait? Accedat ad locum: aut saltem ex Hesiodi consilio, σίμωνι ἐν παύρῳ πολλὸν χρόνῳ μετρυσίδαι. nimis enim frigidus est.

Quæstio 14. pag. 221 *Quid sentiendum de concilijs Generalibus hactenus celebratis*

Ne hic quidem tepidior Becanus, aut in titulo hùius loci præscribendo verior, Putares referri ab eo, & refutari sententiam aliquam Episcopi de omnibus, aut saltem de quatuor primis concilijs Generalibus: tantum carpit, quòd cum in primis quatuor concilijs Imperatorum Præsidentiam approbet, tamen in Lateranensi Lugdunensi, & viennensi reprehendat vnius dominatum: quòdque Constantiense concilium eodem loco laudet: quod tamen alibi in Husso accusat violatæ fidei. Sed aliud est vnum præsidere, vt in antiquis, aliud ad vnius arbitriũ fieri omnia, vt in recentioribus concilijs factum est. Nec simpliciter, aut de omnibus Actis laudat Constantienses: sed de quibusdam. Nihil ergo hîc contradictionis. Nec fingit de fide a Constantiensibus violata, vt iactat hoc loco Becanus rem a se alibi ostensam docui libro priore contra hunc Becanum, nihil ab eo de hac re, neque in Miscellaneis suis, neque in tractatu de fide erga hæreticos, ostensum esse, præter tergum suum tergi versando, & ineptiam, nugando.

Quæstio

Quæstio 15ª pag. 227 *Quale debeat esse concilium Generale.*

Ad hanc quæstionem, dum, quasi refutaturus, repetit conditiones quas requirit Episcopus, primam, *vt rite congregatum sit*, omittit. Deinde proximam, *vt libertas sit suffragiorum*, Tridenti obseruatam fuisse, ex verbis synodi sess. 13 (*publicam fidem & plenam securitatem concedit*) euinci putat: quasi verò non & Iohanni Husso paremsecuritatem fecissent Cóstantienses. Quod addit Episcopus *vt præiudicium ne sit pro iudicio*, ne a nobis quidem obseruari posse ait: *Articulus enim fidei* (inquit) *apud vos est, Papam esse Antichristum*: ideoque nisi præiudicium istud habebimus pro iudicio, deferendum nobis esse id, quod apud nos articulus est fidei. & quid ni deferetur, si non rectè positus est? Sed nec talem, credo, articulum agnoscimus: priuata opinione siquis fidei articulum esse statuit, ipse viderit. Addit Episcopus, *vt non sit iudex, qui peragendus sit reus*: nihil æquius: sed Becanus non approbat: ne a nobis quidem admittendum contendit: ex quorum sententia fingit necesse esse, vt Rex aliquis vnus supremus in concilio iudex sit: quasi verò necesse sit, qui præsidet omnibus, eundem & omnium supremum esse iudicem. Quod contra factitios seu titulares Episcopos a nostro excipitur, exponit, ac si etiam eos excludat, qui tempore persecutionis a suis diœcesibus exulent: cum de ijs potius intellectum oporteret, quos Papa ad augendam multitdinem suffragiorum suæ partis, quasi de nihilo crearet ad libitum: tum & excurrit contra nostrorum consecrationem, quasi omnes titulares essent: vbi homo futilis responliones nostras,

vt

vt quæque ipsi obessent; dissimulare doctus, satis habet obiectionem Bellj nudam reponere: nec de responsione cogitat, quam hoc ipso capite septimo, ex ipsis Archiepiscopi Cantuariensis Archiuis adhibet Episcopus p. 168. Postremam conditionem, *vt Italorum*, qui & Papæ addictitij, & nimis numerosi sunt, *numerus minor sit*, primum (nec aliam priore editione expositionem vllam agnoscere aut suspicari poterat) ita exponit, ac si Episcopus his verbis iam negasset, quod in Tortura Torti dixerat, *Regem nostrum, & qui cum eo* (puta contra Pontificem Romanum) sentiunt, partem gregis Dominici nec minorem, nec minus illustrem esse, quàm quæ est pars Pauli quinti. Mira subtilitas Iesuitæ: quàm cum hac editione posteriore nimis puerilem esse intellexisset, delere tamen noluit: quin & pergit vt ante: quasi, cũ ab Italis reliquos totius Europæ *numero suffragiorum vinci* diceret Episc: alios, vel Italos, vel Europæos diceret, quàm qui ius sufiragij in concilijs haberent. Tandem, vbi hoc pacto multis nugatus fuerat, addit hac posteriore editione calumniam: dum verba quidem Episcopi sic vt volumus exponi posse concedit: sed rationem, quòd Itali Episcopi, & in Italia & per Europam longè plurimi Papæ addictitij sint, dissimulat. Vnde nonnulla satis frigidè iterum nugatus, fingit, Episcopum *admittere Iesuitas & Puritanos*: dum modò absint titulares & aliquot ex Italis: atque ita scilicet irrefragabiliter concludit, Regi contradici, quem etiam fingit in Monitoria neminem excludere præter *Iesuitas & Puritanos*. Ineptia (ne in fraude tam aperta fallaciam dicam) in eo sita est, quòd horum aut illorum exclusionem interpretetur

ceterorum omnium admissionem.

Quæstio 16ª. *An Bellarminus sibi ipsi contradixerit.*

Reconciliaturum putares hoc loco omnes, aut pleraſque, aut præcipuas Bellarmini ab Episcopo notatas contradictiones. Sic titulus ostendit, sed aliter notus Vlysses: titulo ne credite Teucri: vnũ tantùm locum defendere conatur: vbi Bellarminus & negat sibi opus esse breuitatem scribendi à quoquam discere, & quasi aliquod genus huiusmodi breuitatis à Rege didicisset, exclamat, *Deus bone quàm misera conditio est, sub eo Rege viuere, qui iniuriam sibi fieri iudicat, si quis ab eius exemplo scribere discat.* Si contradictio hîc nulla, at certè quiddam, quod non satis cohæret: nec contradictionem esse ait noster (vt fingit Becanus) tantum quærit, quomodo hæc cohæreant. Vnde & respondet scomma esse, puta & sic quidem (vtcunque) cohærere. Addit à se in Privilegijs Caluinistarum, & in dissidio Anglicano detectas contradictiones nostras: tum nec Regem eximit: quod, cum Bellarminum in Apologia iuramenti læserit compluribus verbis atrocioribus, tamen in Monitoriâ, diserte hoc neget. Sed duobus illis libellulis suis responsum iam dudum accepit. Et quanta hîc impudentia, cum quintum caput Responsionis ad Apologiam Bell. præ manibus habeat, vbi ad hoc ipsum, quod Regi obijcit, respondetur, dissimulata responsione, obiectionem ei ipsi, cuius responsionem præ manibus habeat, nudam regerere?

Quæstio 17ª. pag. 234. *An Bellarminus aliquid immodeste scripserit.*

Hæc

Hæc quæstio directè quidem ad locum præcipuũ quinti capitis Apologiæ Bell. Sed ad eã Becanus nihil directè: quin hîc quoq; , vt passim, titulus mẽdax: nam ne vno quidem verbulo crimen immodestæ scriptionis à Bell° amoliri conatur. Tantum Episcopum nostrum in societatem criminis pertrahere nititur. Sed ea solum recitat, non quæ (vt Bellarminiana) in Regiam aliquam Maiestatem, quam hostibus sacram esse conuenit, dicta essent: sed quæ vel ex confessione pontificiorum (vt de Turonico fabuloso, & de Canonista Parasito) vel ob ipsorum auctorum mala merita, & rerum indignitatem, & causæ necessitatẽ (præsertim cum & in inferioris loci homines vsurpentur) ab omni contumeliæ & immodestiæ crimine excusari debent.

Quæstio 18ª. pag. 236. *An Bellarminus sit Apostata ordinis.*

Quæ habet ad hanc quæstionem, iam ante biennium sigillatim refutaui: & deinde iterum refutauit acutissimus Thomsonius: vtriusque responsionibus dissimulatis, eandem cramben nunc iterum reponit homo impudentissimus. Quin & sub finem duo illa immania, & plusquam absurda mendacia, de sententiâ nostra, quasi qui fidelitatem & obœdientiam Rẽgi nostro promittimus, *Omnes cum duplici hac limitatione promittamus: 1. quamdiu manemus in Anglia: 2. quamdiu Rex non mutat religionem*, vtrumque, postquam ab vtroque nostrum admonitus fuerat, supra quam dici potest impudenter regerit, ad prioris enim confirmationem nihil habet: ad posterioris autem nihil, nisi alterum æquè absurdum, de sententia nostra mendacium: dum sine omni confirmatione

fingit eam esse nostram sententiam, vt putemus nos non teneri, fidelitatem & obœdientiam præstare Regi, si forte semel aut iterum periurio se obstringeret; *non præstares illi* (inquit) *vtpote bis periuro.* Vnum hunc excipe, neminem (credo) inuenies, qui credi posse putet, hanc esse sententiam nostram aut cuiusquam nostrorum hominum.

Quæstio 19. pag. 139. *An Canonistæ sint Parasiti. Omnes* (inquit) *Canonistæ apud te Parasiti audiunt.* pag. 106 & 109. Dignum Becano exordium à mendacio. Episcopus priore loco tantum de vnō aut altero, loquitur. *Canonistam* (inquit) *vnum aut alterum Cardinalium parasitos*: Quid autem pag. 109? *Canonista* (inquit) *aliquis Cardinalis alicuius parasitaster.* Hic verò nec de vno aut altero loquitur, sed de vno tantum: quomodo ergo vtrobique apud eum *omnes Canonistæ Parasiti audiunt?* Sed num diluit, vt titulo pollicetur, hanc vel vnius & alterius, vel omnium infamiam? imo ne conatur quidem: ita & secundo iam hic mendacij conuictum tenemus. At retorquet crimen saltem adulationis in Episcopum: dum pro verbis eius recitat, Regem Iacobum *solum, quasi Phosphorum, nouam lucem in mundum intulisse, & ad eius solius normam, omnes Reges ac principes consiliorum suorum cursum dirigere debere?* Imo verò sex illa *solum*, & *in mundum intulisse*, & *solius*, & *normam*, & *omnes*, & *debere*, addidit Becanus de suo: vt iam intra paucas lineas octonarium mendaciorum eius habeamus. Nam quod ad extremum etiam nobis obijcit, & mendacium in Canonistarum adulationibus reprehendendis, & maleuolentiam. De maleuolentia nugatur principij petitione: de mendacio circa

Berta-

Bertachini Repertorium, quod nescio cui obijcit, neminem enim nominat, alius forte viderit.

Quæstio 20ª. pag. 292. *An Sancti intercedant pro nobis.*

Hîc quoque titulus bis mendax. Nam nequevsquam negat Episcopus Sanctos pro nobis intercedere: neque hanc quæstionem, sed aliam hoc loco tractat Becanus. Sed quicquid est quod habet, videamus. Primum, cum dicitur apud Episcopum, *Intercedere sanctos probat Cardinalis, Rex non negat*, in Regem peccari ait. Regem enim hoc ipsum negare, cum ait, *Beatam Virginem & alios sanctos in aterna felicitate collocatos, nunquam à tantis gaudijs vlla terrenarum rerum cura, aut solicitudine auocari.* Locus est in Monitoria regia p. 46. editionis Londinensis anno 1609: vbi clarissimum est, Regem Monachorum fabulas de Maria in terras descendente reijcientem, de locali *auocatione* loqui: ideoque minimè negare, quin curam nostri & solicitudinem eam gerat, quam in cœlis manens gerere potest. Nec alia Domini Tookeri (quicquid ei hîc affingit Becanus) sententia est: testis pagina Duelli 373ª. Sed addit Becanus & in Bellarminum hic ab Episcopo peccari, dum eum falso reprehendit: quænam autem reprehensio? quòd respondeat de intercessione, cum Rex proponat de Inuocatione: quòdque cum Rex inuocandos neget, Bellarminus, hoc non probet. Ac priorem quidem reprehensionis partem veram esse negare non audet. Res enim clara est. *Accipiam* (inquit Bellarminus vbi rem agendam proponit) *Intercessionem sanctorum.* Et complura certè eius argumenta nihil aliud inferunt. Nec de omnibus, sed de compluri-

bus & de ipsa quæstionis propositione intelligendum, quod Bellarminum accusat mutatæ quæstionis. Sed nec in hoc, quod Cardinalis de intercessione respondeat, maximam mutatæ quæstionis culpam ponit Episcopus: quin in eo potius, quod iste dissimulat: quòd, cum fidem Ecclesiæ Anglicanæ accuset Bellarminus ob reiectam sanctorum inuocationem, tamen ne verbo quidem vno in tam longa disputatione probare conetur, hanc inuocationem partem esse vllam fidei Christianæ.

Quæstio 21ª. pag. 246. *An ideo Sancti inuocandi non sint, quia nullum extat præceptum de hac re.*

Nec hîc quidem probare nititur id quod probandum proponit: tantum ad verba Deut: 12, 32. (*Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino*) respondet pag. 298, *Ineptissimè hinc colligi, nihil omnino faciendum esse quod præceptum non est: atq; adeo hoc solum hinc colligi, in veteri testamento non licuisse quicquam offerre Deo in sacrificium externum, nisi quod Deus offerri præcepisset.* Prior pars huius responsionis, quemadmodum & locus pag. 246, peccat falsatione sententiæ Episcopi: non enim nihil in quocunque rerum genere fieri vult, quod præceptum non est: sed de ijs tantum rebus loquitur, in quibus substantialis pars aliqua cultus diuini ponatur. In posteriore responsionis parte indignissima deprauatio sacræ scripturæ: quam & verba textus refutant clarè. Non enim dicit rem quam præcipio, sed *omnem rem quam præcipio*: vnde &, quod subijcitur, *non addes ei, nec auferes ab ea*, de toto corpore legis Mosaicæ necessario capiendum: vt omne Pharisaicum Legis auctarium excludat.

Que-

Quemadmodum & Deutr: 4.2. de tota lege dicitur, *Ne addite ad id quod præcipio vobis, neque detrahite:* puta quoad substantiam cultus diuini: vnde & loco illo Deutr: 12 verba, *ne addite*, pro ratione afferuntur; cur non solum in generibus sacrificiorum, sed etiam in toto cultu diuino, cauendum ijs esset, ne exemplum gentium sequerentur, post vnam enim huius rei rationem præmissam versu 31, quia Gentes fecerunt quicquid abominationi est Domino, etiam vt filios suos sacrificauerint: adijcitur alter versu hoc 32, quia in cultu dei (puta quod ad rerum substantiã) nihil faciendum, nisi quod ipse expressè præceperit. Sic interpretes longe optimi, Esaias 23 39,& ex eo Seruator Mat. 15.9, legem hanc exponunt, de toto cultus diuini corpore. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Quin & ipse Stapletonus, etsi euatiuncula satis misera acquiescat, tamen hoc nugatore multo & doctius, & magis ingenuè, Relect: Princip. doctrin. controu: 5, qu. 5, art. 2, ad 3: *Veteris* (inquit) *Synagogæ status, cum totus umbraticus & seruilis, ideoque literalis esset, non debuit praeter scriptam literam, vllos nouos cultus, aut nouam doctrinam inferre.*

Quæstio 22ª. *Quid S. Ambrosius sentiat de Transubstantiatione.*

Primum (inquit p. 250) *male fide citat Ambrosium* de Sacram: l. 4 c. 4: & p. 249, *Dicit Ambrosium affirmare, verba consecrationis nihil aliud operari circa elementa panis & vini, quàm vt sint quod erant, & in aliud commutentur.* At *verba Ambrosij* (inquit Becanus) *sunt vt sint quæ erant, & in aliud commutentur: hanc* (inquit) *impostu*ram *quis non aduertat?* Respondeo, im-

postura, hîc nulla, nisi Becani: dum fingit dici ab Episcopo, quod non dicit. Verba eius hæc sunt p. 192 *Ambrosio non aliter ibi Christi benedictio, vel sermo operatur, quàm vt sint quod erant, & in aliud commutentur.* Ita non verba ipsissima, sed sententiam Ambrosij hanc esse ait. Nec alia certè verborum, *vt sint quæ erant, & in aliud commutentur*, sententia. Primum enim si ea ipsa sunt quæ fuerunt, quomodo non id ipsum sunt quod fuerunt? Deinde verba Gelasij supra apud Episcopum posita, hunc locum quē āperte intuentur, sic exponunt. Atenim (inquiet Becanus) quæ addit hoc loco Ambrosius, & quæ habet alibi his similia nequaquam hanc interpretationem admittunt. Audiamus ergo & alia verba, quæ vrget. *Hoc ipso* (inquit) *capite Ambrosius dicit, de pane fit caro:* Respondeo, verba ipsissima sunt, *Panis iste, panis est, ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro.* Vbi quis non videt seriem sententiæ, si quidem sic verè dici potuerat, postulasse, vt in membro posteriore, diceret, *vbi accesserit consecratio non est amplius panis?* Sic enim optimè constaret antithesis ad verba præcedentia: vbi dixerat, *panis iste panis est ante verba sacramentorum*. Ita quia non poterat dicere *non est amplius panis:* ideo tantum ait *de pane fit caro*, quod exponit ipse libro de ijs qui mysterijs initiantur c. 9. his verbis. *Ante benedictionem* (inquit) *verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur*, & de Sacram. l. 3. c. 5. *Vis scire quibus verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sint verba: dicit sacerdos, fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem: Quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi,*

&

& eodem capite : *Hæc oblatio est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi :* & iterum *similitudinem pretiosi sanguinis bibis*, & in primam ad Corinthios c. 11, *Eucharistia est medicina spiritalis : nam memoria est redemptionis nostræ : quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando ; carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Ita quòd ex cap. 9. de ijs qui initiantur vrget Becanus, *non est hoc quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit*, his verbis nihil vult Ambrosius nisi symbolorum vim per quam, vt per sancti spiritus instrumentum, viuificamur, non esse eam quam natura formauit, sed quæ post consecrationem ijs accessit. Nam & cap. 4. libri tertij de Sacramentis agnoscit remanere elementorum substantiam his verbis : *Vidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam : tamen creatura solennis, ac nota.* Necessariò ergo ita (vt dixi) interpretandum illud, *non est quod natura formauit :* quemadmodum & Ambrosius ipse de sacram: lib. 4. c. 4, vbi ferè omnia repetit, quæ in altero illo libro hac de re habentur, se ipse interpretatur. *Non iste* (inquit) *panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis, vitæ æternæ, qui animæ nostræ fulcit substantiam.*

Nec difficile iam ad cetera Ambrosij loca, quæ ab aduersario vrgentur respondere. *Post consecrationem* (inquit de Sacram. l. 4. c. 4) *dico tibi, quòd iam corpus est Christi :* expone ex his verbis capitis proximi, *Intellige*, (inquit) *quid amplius est Manna de cœlo : an corpus Christi ? corpus Christi vtiq; qui auctor est cœli : deinde Manna qui manducauit, mortuus est, qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.* Adde

quæ

quæ ſupra recitaui de *ſimilitudine, ſignificatione, & figura*, quemadmodum & lib. 1 de officijs c. 48 *Hic* (inquit) *Chriſtus in imagine offertur: illic* (puta in cœlo) *in veritate: vbi apud Patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit. Aſſcende igitur, ô homo, in cœlum, & videbis illa quorum vmbra hic vel imago fuit.* Nec tamen ita eſt, vt calumniatur Becanus ac ſi *hederam* vocaremus *vinũ*: ſedita, vt in miſſilibus Imperatorũ largitionibus, cum tantum teſſeræ proijciebantur in turbam, tamen res ipſæ quæ donabantur proijci dicuntur apud poëtam: *Iam* (inquit) *veniunt ſubitis demiſſa monilia nimbis*. Ex quo etiã intelligas, nec in eo, quod hic quoque vrget Becanus, incommodum eſſe vllum quod ait Ambroſius lib. de ijs qui myſterijs initiantur, c. 9, *benedictione natura ipſa mutatur*. Cũ enim aliquid ſit teſſera rei abſentis, certè quoad naturam mutatur: vt quod non ex natura ſua primaria, ſed χάριτος συνθήκην vim iſtam habeat. nec negat Epiſcopus (vt fingit Becanus) quin diſertiſſimis verbis fatetur (eo ſcilicet ſenſu quẽ iam expoſui) *mutari elementorum naturam*: nec alio ſenſu Ambroſius. Nec bona fide aduerſarius vel in eo agit, quòd cum ſeptem naturæ per potentiam diuinam mutatæ exempla afferat Ambroſius, quorum tãtum duo intelligi poſſunt de ſubſtantiali mutatione, ex iſtis duobus colligat in mutatione naturæ elementorum quam his exemplis illuſtrat Ambroſius, ipſius ſubſtantiæ potius, quàm proprietatum naturæ mutationem ab eo hic intelligi: quaſi verò non pluris eſſent quinque exempla vnius generis, quàm duo alterius. At cur igitur (inquies) laborat Ambroſius aut (vt Becani verbis vtar) *quid opus erat hoc, de quo nemo dubitat, aliam eſſe naturam*

panis,

panis, aliam sacramenti, probare tot exemplis? Respondeo: hoc ipsum quod natura ita, vt exposui alia sit, & ea iam sit vis elementorum, vt Christum quasi præsentem in tessera offerant, non est res quam caro & sanguis sine fide de omnipotentia diuina capiant: non sine causa igitur Ambrosius hanc omnipotentitiam per exempla sæpe a Deo *mutatarum consuetudinum naturæ*, eum in finem illustrat, vt ita minus miremur tantam elementis natura sua nullam huiusmodi vim habentibus, efficaciam a Deo omnium rerum præpotente, & ipsius naturæ Domino, annexam esse.

Quæstio 23ª pag. 292 *Quid S. Augustinus sentiat de miraculis.*

De quatuor visionibus in Apocalypsi, quarum singulis Antichristus designari dicitur, multa Rex in inclyta sua Monitoria. Secundam, quæ habetur capite nono, explicans, simul & quatuor genera criminum ecclesiæ Antichristi eodem capite nono commemorata, exponit. Tertium crimen veneficia & incantationes: ad quas refert benedicta indusia apud Pontificios, & cereos agnos Dei, quibus ignis restinguatur, & diuersorum generum reliquias. Ad hunc locum de reliquijs Bellarminus (etsi iam ante de ijs instituerat disputationem, ad quam respondet Episcopus pag. 47) opponit de penu suo, locum apud August. de ciu, l. 22. c 8 de miraculis, quæ in Africa fiebant per reliquias Stⁱ Stephani. Respondet reu. Episcopus p. 282 *Aliam esse rationem de reliquijs sanctorum, aliam de reliquijs, aut forte potius quisquilijs Papistarũ:* tum & *videndũ Bellº, an quæ legit loco illo apud Augustinum, concinnè conciliare possit cum Augustino*

ſtino ipſo: qui nuſquã ſcire ſe hic in Africa talia fieri, epiſt. 137 dixit clero ſuo & vniuerſæ plebi Hipponenſi: minus cautè id, ſi tam frequentia fiebant. Hæc ille: vbi Becanus verba Auguſtini, *nuſquam ſcire ſe in Africa fieri talia*, exponit, non, vt Epiſcopus, de toto genere miraculorùm, quæ apud Sanctorum memorias fiant, ſed de miraculo reuelandi arcãna. Res non magni momenti eſt, non enim hac ſola, ſed & alia, quam dixi, reſponſione nititur reuerendus Epiſcopus: quanquam, cum ait Auguſtinuss, nuſquam *talia*, non autem nuſquam *tale quid*, potius forte de vniuerſo genere miraculorum expoſueris. Sed non contentus Becanus ſic ingenuè reſpondiſſe, aut ſuam expoſitionem, non ſanè admodum improbabilem, oppoſuiſſe, addit de fermento ſuo *Reſpondes* (inquit) *Auguſt. ſibi contrariũ eſſe*: & ſtatim *Auguſt. ſibi contrarius non eſt, ſed tu mendax es.* Sed neq; ait Epiſcopus (vt fingit Becanus) *Auguſt. ſibi contrarium eſſe*: teſtor verba ſupra poſita. Itaque mendacij crimen quaſi lapis in ſolidum coniectus, in accuſatorem reſilit.

Quæſtio 24 pag. 256 *Quæ ſint Scripturæ Canonicæ.*

Primum in terminorum explicatione, id eſt in totius diſputationis fundamento, magnum de regia confeſſione mendacium ſubſternit. *In Monitoria* (inquit) *Præfatione Rex ſereniſſ. cum Bellar. l. 1. de verbo dei c. 4. duos ordines ſcripturarum agnoſcit: in quorum primo ſint hi libri: Pentateuchus &c. in ſecundo hi, Heſther, Baruch &c. epiſtola ad Hebræos, epiſtola Iacobi, Poſterior Petri, Secunda & tertia Iohannis, epiſtola Iudæ, Apocalypſis. Dicit ergo Sereniſſ: Rex libros primi ordinis eſſe diuinos, & canonicos, non itẽ ſecundi ordinis.* Hæc

Becanus

Becanus p. 257: vbi non erubescit Regi imputare, quasi non solum integrum librum Esther, sed etiam epistolam ad Hebræos, epistolam Iacobi, posteriorem Petri, Secundam & tertiam Iohannis, & Apocalypsim inter Apocryphos libros numeraret. Vnde & p. 264 postremis penè verbis huius controuersiæ suæ Anglicanæ, ne non in mendacio desineret, iterum hoc repetit, *Nam iuxta* (inquit) *regulam Sereniss. Regis vestri, quicunq; secundi ordinis sunt extra canonem sunt.* Sed vbi igitur hos libros in secundo ordine collocat Rex serenissimus? Nusquam profectò: quod & notius quàm vt in dubium vocari possit. cum enim ait libros Apocryphos *secundæ esse lectionis atq; ordinis, & hanc esse Bellarminianam distinctionem*, nihil aliud vult, nisi distinctionē *suam* de diuersis ordinibus sacrorum librorum, Bell[i] esse: & quid impedit verum hoc esse, etsi Rex non solum suos ordines aliter definiuerit, quàm Bell[us] suos: sed & ad primum suum ordinem non paucos, præsertim de libris noui testamenti retulerit, quos Bell[us] ad secundum suum ordinem: aut etiam ad tertium reijcit? Non tacuisset Bell[us] in sua Apologia tantum Regis ab ecclesijs omnibus reformatis dissensum, si vel probabiliter eum ex verbis Regijs colligi potuisse speraisset. Imò verò & Becanum satis hoc loco diserte conuincit falsi: dum in secundo ordine (puta prout ex Regis sententia libri distribuendi essent) eos tantum libros agnoscit, *ex quibus Rex* (vt ait) *& ceteri Caluiniani, negant posse elici vel stabiliri dogmata fidei.* Et quis nescit iuxta eos, quos Caluinianos vocat, stabiliri posse dogmata fidei ex prioribus capitibus Estheræ, & epistola ad Hebræos, & ex Iacobi epistola, & posteriore

riore Petri, epistola Iudæ, & Apocalypsi, & duabus posteriobus Iohannis epistolis) verba Bell[i] sunt ex c. 7. Apologiæ huius suæ p. 102, iuxta editionem Colonienſem anni 1610, *Scripturæ ſecundi ordinis ſunt Tobias, Iudith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſticus, Macabæi, & alii quædam : Atq; hæc ſunt, ex quibus Rex, & cæteri Caluiniani, negant poſſe elici vel ſtabiliri dogmata fidei.* Ita luce clarius, Bell[um] hoc loco, vbi ex Regis ſententia (contra eum enim diſputat) libros ſecundi ordinis intelligit, non alios in ſecundo ordine intelligere, quàm qui paſſim in eccleſijs reformatis Apocryphi dicuntur. Nam & in ſequentibus, vbi ſigillatim per inductionem mentionem facit librorum ſecundi ordinis, ſemper aliquem horum Apocryphorum nominat, nunquam aut epiſtolam ad Hebræos, aut epiſtolam Iacobi, aut aliam vllam partem noui teſtamenti.

Rectè ergo Reu: Epiſcopus ad Bellarmini quæſtionem, vnde cognoſcamus ſcripturas ſecundi ordinis non eſſe canonicas, ita reſpondet, ac ſi de ſolis ijs quæreretur, quæ cum Hebraicè non extent, tamen ad vetus teſtamentum referuntur. Non alium hîc à Bellarmino ſecundum ſcripturarum ordinem intelligi, etiam ex eo apparet, quòd euidenter de ijs quæſtionem moueat, quas vel cognoſcamus, vel præ nobis feramus cognoſcere, non eſſe canonicas. & ad quæſtionem quidem hoc modo propoſitâ (quicquid nugatur aduerſarius, ac ſi etiam de libris noui teſtamenti quæreretur) egregiè ſatisfacit, quod reſpondet Epiſcopus, cognoſci ex verbis Rom. 3. vbi dicitur Iudæis credita fuiſſe eloquia Dei. *Veſtra enim* (inquit) *Apocrypha illis credita non eſſe, concedet ſcio Cardinalis.*

Cardinalis. Nihil apertius hac ratiocinatione: quàm Becanus (vt qui à mendacio inceperat) egregiè corrumpit. *Sic* (inquit) *argumentari videris:*

Omnes libri canonici sunt in canone Iudæorum.
At soli libri primi ordinis, quòd ad vetus Testamentum attinet, sunt in canone Iudæorum:
Ergo illi soli sunt canonici.

Quàm absurda hîc, quam nulla de causa imputat ineptissimus calumniator? nunquam dixit Episcopus, nunquam sensit, nedum hoc loco probare conatur, solos libros veteris Testamenti esse Canonicos. Nec magis illud asserit, *Omnes libros canonicos esse in canone Iudæorum.* Sic disputat:

Non alium esse Ecclesiæ canonem quoad vetus testamentum, quàm qui fuit synagogæ Iudaicæ, ex scripturis docemur: sic enim docent verba illa Rom: 3. credita sunt illis eloquia Dei. Ergo & libros illos de quibus quærit Bellarminus, nempe Tobiam, Iudith, Baruch &c. Non debere esse in canone Ecclesiæ ex scripturis docemur: cum constet hos libros nunquam fuisse in canone synagogæ Iudaicæ.

Ne non satis hanc Episcopi ratiocinationem corrupisse videatur, addit Becanus, Episcopum simpliciter, puta de omnibus canonicis, dicere, *ex scripturis cognosci posse qui libri Canonici sint*: quod etsi aliquo modo dici forte possit, hîc tamen ab Episcopo neque dicitur, neque negatur. Sed & quinta falsatione peccat, dum responsionem ad locum Augustini contra Epist: fundam: c. 5. *Non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas*, ita recitat, *Secundo* (inquit) *respondes in hac controuer-*

sia

ſia de Scripturis canonicis non eſſe ſpectandam auctoritatem eccleſiæ noſtræ catholicæ, quæ nunc eſt : ſed quæ fuit olim Apoſtolorum tempore: ſic Becanus: & ſtatim p. 291 *Si adhuc ſupereſt eccleſia Chriſti, quæ fuit tempore Apoſtolorum & Auguſtini, cur illius auctoritati non acquieſcis?* At Epiſcopus nuſquam negat, ſe huius eccleſiæ auctoritati aquieſcere: tãtum à concilijs, Florentino, & Tridentino, quæ a Bello vrgentur, id eſt ab eccleſia Pontificia, ad eam quæ ſemper fuit verè catholica, prouocat. Carthaginenſis enim concilij conſtitutionẽ 47 de canone morum, ſeu vt alij loquuntur de Græco canone; nempe quem non Hebræi (id eſt Iudæi in Iudæa commorantes) ſed ἑλληνισταὶ (id eſt Iudæi diſperſi per varia mundi loca) eccleſiæ Chriſtianæ tradiderunt, de hoc (inquam) Græco canone intelligendum Carthaginenſem conſtitutionem de numero librorum canonicorũ, docet: tum ex eo, quòd Sextum generale non ſolum hanc recenſionem, ſed & alteram Laodiceni concilij, quæ eadem cum noſtra eſt, approbet: tum etiam ex eo, quòd Auguſtinus, qui Carthaginenſi conſtitutioni ſubſcripſit, & lib. 2 de doctrina Chriſtiana c. 8 ſimilia habet: idem tamen l. 2 epiſt. ad Gaudentiũ c. 22 inſigniter noſtræ ſententiæ teſtimonium præbeat. Inſpexiſſet hunc locum Becanus, nec ſilentio diſſimulaſſet: dum ita ſæpe, quaſi rem confeſſam, iterat pro ſuo canone ſtare Auguſtinum: verba in epiſtola illa ad Gaudẽ. hæc ſunt: *Hanc quidem Scripturam quæ appellatur Machabæorum, non habẽt Iudæi, ſicut Legem, & Prophetas, & Pſalmos: quibus Dominus teſtimonium perhibet tanquam teſtibus ſuis: dicens. oportebat impleri omnia quæ ſunt ſcripta in Lege, & in Prophetis, & in Pſalmis de me:*

ſed

sed recepta est ab ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur. Quis non videt, his verbis negari parem esse auctoritatem librorum Macabæorum cum lege & prophetis? quin & ipsissimam Episcopi rationem adhibet: vnde & vniuersè de ceteris concludi potest: quemadmodum & lib. 15 de civ: Dei. c. 23 manifestè eos, quos Apocryphos dicimus, distinguit. Etiam libro illo 2° de doctrina christiana, ipsoque illo cap. 8 duo genera quæ diximus canonicorum librorum agnoscit: cum, vt, verba eius exponit Bellus, de verbo Dei l. 1. c. 10, *dicit obseruandum esse in libris, qui dicuntur canonici, vt ij, qui ab omnibus recipiuntur, præponantur ijs, qui non ab omnibus recipiuntur.*

Nec Melitonem Sardianum, de quo Eusebius lib. 4. hist. c. 26, aut Gregorium Nazianzenum, in carmine de genuinis scripturis, ita confidenter ex numero decem Patrum, qui pro nostra sententia commemorantur, excepisset Becanus. Quod enim librum Esther omittunt, vel ideo accidit, quia in Græcis codicibus, in quibus vnà cum Apocryphis additionibus extabat, hic liber plura adulterina, quam genuina continebat: vel quia vnica Esdræ appellatione librum quoque Nehemiæ & Esther complexi sunt: quod & alios fecisse in præfatione in Esdram innuit Hieronymus. Athanasius quoque satis manifestè in synopsi, de libro Esther hoc indicat, cuius etiam ideo notanda verba, vt sciamus, ne hunc quidem librum iuxta Athanasium Hebræo canoni eximendum: ideoque hunc quoque, vt cum ceteris satis consentientem, rectè ab episcopo inter decem illos patres numerari. verba enim eius hæc sunt. *Quidam ex*

veteribus apud Hebræos pro canonicis reputari dixerunt librum Esther, & historiam Ruth. hanc cum historia Iudicum vno libro comprehendi : Esther verò ad aliud quoddam volumen canonicum pertinere : atq; ita numerũ viginti duorum librorum apud illos compleri voluit.

EPILOGVS.

TAndem, ne non benignè secum agi putet Aduersarius, damus, quod iniquissimè postulat : Responsionem ad Apologiam Belli totam rectè despexerit, si pauca, quæ sola vellicat, & ea ferè ex obiter dictis, imò si vel vnum proferre potuit meritò reprehendendum. Nevnum quidem potuit, vt iam satis indicaui. Vnde & nos vicissim, postquam iam sigillatim ostendimus nihil hìc ab aduersario malcuolo reperiri potuisse, quod merito reprehenderet, iure nostro postulamus, vt totam Responsionem iusta exceptione maiorem esse hoc ipso argumento statuamus. Ita non Pontificijs, sed nobis nauauit operam Becanus : cuius iam non potest non esse odiosus ille tantus ab initio hiatus. Si enim *omnia* (vt ait) *conuicijs, illusionibus, mendacijs, prauis citationibus, ineptijs, adulationibus, & Paradoxis plena sunt* : quî factum, vt ne vnum quidem ex omnibus aliquo horum criminum teneri ostenderit ? Agamemnonem qui τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔπος, imitari voluit Thersites, ridiculus contemptor (verè dicam) eius viri, cuius mihi malim literas & merita, *quam vel quæ tenuit dines Achamenes vel pinguis Phrygiæ Mygdonias opes. Obstupuisse se* ait nugator,

nugator, quia *nihil apparuit dignum Episcopo:* mutasset ordinem, & verum dixisset. Non enim stupidus fuit, quia nihil ei tale apparuit: sed ideo nihil ei tale apparuit, quia stupidus fuit. Nec Apollinis cithara ideo contemnenda, quia eam Midas Semicapri cannis postposuit: sed Midas ideo, quia sic iudicauit, famosus auribus asininis.

Et iam ferè tempus vt hircum Moguntinum aliquô dimittamus ad ruminandum. Appendici enim de Puritanis nuper respondi in Appendice. Restant tantum subijciendæ quæstiones duodecim, pro Bellarmanis viginti quatuor: vbi Responsionem notissimæ ipsius phrases idoneam nobis suggerent. Res enim iam supra satis demonstratæ.

Quæstio 1ª. vtrum Becani liber iste, iam secundò editus, refertus sit assertionibus nefarijs. Respondeo, *Nihil certius apud Catholicos*, vide Catalogum cap 1.

Quæstio 2ª. Vtrum in plerisque Inscriptionibus, tam generalibus, quàm specialibus, ea tractanda promittat, quorum ne minimam quidem partem aggreditur. Resp. *Sic optimè concludimus.* Vide supra passim demonstratum, præcipuè toto Capite sexto.

Quæstio 3, Vtrum toti tractatui primo, qui inscribitur *de comparatione Regis & Pontificis in vetere Testamento*, in Maiore propositione primarij syllogismi pro fundamento præcipuo, sine omni probatione, vt à nobis confessum sumat id ipsum, quod à nobis negatur. Resp: *certum est*, & docetur capite secundo. §. 3.

Quæstio 4ª. Vtrum etsi præcipuum illud primi tractatûs fundamentum benè sumptum dicatur, ta-

men de sex ex octo titulis præcellentiæ Pontificiæ frustra laboret per multas paginas, cum concedi sine incommodo omnia possint, vt quæ contra sententiam sereniſſimo Regi falso imputatam, afferantur. Resp: *Quid clarius?* vide cap. 2. § 4.

Quæstio 5ª. Vtrum liber iste Becani, in paucis quas habet recitationibus sententiæ nostrorum hominũ, plures habeat falsationes quam recitationes. Respond. *consulat calculos.* Rem enim ita se habere hæc responsio nostra demonstrat.

Quæstio 6ª. Vtrum in hoc libro ita multa eorum quæ ij si obellent, quæque, nisi omnium ignauissimus sit, nescire non potuit, dissimulauerit: vt si pro singulis tergiuersationibus pilum vnum amitteret, necessario totus calvus futurus esset, priusquam vel dimidiam pœnam expleret. Resp: *nihil certius:* & res à nobis passim demonstratur.

Quæstio 7ª. Vtrum ad crimina Falsatoris, & Tergiuersatoris, addiderit crimen Præuaricatoris, oppugnando, & ab ipsis fundamentis euertendo suorum sententiam, vt ita iudicialis inscriptionis vinculo vndiquaque teneatur. Resp. *Colligat se, & videat quid dixerit.* Exempla enim notaui c. 5, § 1: & § 3. & § 11: & c. 4, § 1: & c 6 qu: 7. & qu. 10.

Quæstio 8ª. Vtrum toti tractatui secundo, qui inscribitur *de iuramento Primatûs*, itidem, vt tractatui priori, in Maiore propositione primarij syllogismi sine omni probatione, vt à nobis confessum, sumat id ipsũ, quod à nobis negatur. Resp: *affirmant Catholici, & merito*, rem enim demonstraui c. 4, § 1.

Quæstio 9ª. Vtrum in tertio tractatu itidem faciat, vt in duobus prioribus. Resp. *Non puto quenquam, qui*

quisanæ mentis sit, tergiuersari hic posse. Quæ enim cap. 4, § 1. dixi ad maiorem primarij syllogismi tractatus secundi, & ad maiorem primarij syllogismi tractatus tertij pertinent: vt patet ex conclusione huius tractatus apud Becanum p. 155. quemadmodum & quæ c. 2. § 3. dixi ad maiorem primarij syllogismi tractatus primi, itidem pertinent ad maiorem valdè principalis syllogismi, quo plurimum innititur tractatu tertio: de quo vide apud Becanum p. 140.

Quæstio 10ª. Vtrum, qui ita peccat nimiâ negligentiâ, dū controuersa toties sumit pro confessis, idē etiam peccet nimiâ diligentiâ, dum confessa, & nihil ad rem attinentia concludit pro controuersis. Resp: *de hoc nemo dubitat, & quid facias hoc hominum genere?* exempla enim passim notaui.

Quæstio 11ª. Vtrum, qui nostra sic vbique dissimulat, quibus responsum oportuit, idem & iniquissimè faciat, dum sua sic ad nauseam ex alijs suis libris huc transcribit: & præterea etiam odiosissimè, dum quæ nouerat à nostris iam dudum refutata, sic sine omni defensione nuda & plerumque verbatim ingeminat. Resp: *plus dicam:* In hunc librum non pauca ex hoc ipso libro transcribit. Exempli gratia, ex pagina 109. in paginam 269, ex p. 23. in paginam 159. ex pag. 181 in paginam 236.

Quæstio 12ª. Vtrum hic liber Becani in Deum, & in Regem, imaginem Dei, supra modum impius sit: Respondeo verbis ipsius postremis, *Si hæc videt, benè de eo spero: sin minus, cæcus est, & cæcorum dux.* Exempla enim vtriusque generis notaui cap. 6. qu. 1. Sed & ad prius genus pertinent, nefariæ, & sine om-

ni confirmatione audaciſſimæ, quas paſſim notaui, ſacrarũ ſcripturarum detorſiones ad ſenſum abſurdum: & nonnunquam etiam ipſius contextus falſationes: quod genus ſceleris notaui c. 3, § 4, ad concluſionem tertiam.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

DE POTESTATE REGIA, ET VSVRpatione Papali,

PRO TORTVRA TORTI,

Contra Parallelum ANDREÆ EVDÆMONIOANNIS Cydonij Ieſuitæ,

Reſponſio

ROBERTI BVRHILLI ANGLI.

Tertull. Apol. c. 1.

Ne torti quidem facilè, aut ſemper confitentur.

OXONIÆ,
Excudebat Ioſephus Barneſius, Anno Dom. 1613.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE